


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/





32.
504.






BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·



J. B. Breysig del. — C. Ermer sculp.

DAS RATHHAUS UND DER ARTUSHOF IN DANZIG.

GRATII FALISCI

ET

OLYMPII NEMESIANI

CARMINA VENATICA

CUM

DUOBUS FRAGMENTIS DE AUCUPIO.

CUM

SCRIPTURAE VARIETATE

ET

ALIORUM SUISQUE COMMENTATIONIBUS

EDIDIT

REINHARDUS STERN,

PHIL. DOCTOR.

HALIS SAXONUM

IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI.

cIↄIↄcccxxxii.

504.



204.

VIRO
ILLUSTRISSIMO MAGNIFICENTISSIMO
EXCELLENTISSIMO

BARONI

DE STEIN *AD* ALTENSTEIN

REGIS BORUSSORUM POTENTISSIMI
IN REBUS SUMMIS ET INTIMIS REGUNDIS ATQUE SACRIS
SCHOLASTICIS MEDICISQUE CURANDIS MINISTRO
SUMMORUM ORDINUM EQUITI
REGIAE *ARTIUM* LITTERARUMQUE ACADEMIAE SOCIO

HUMANITATIS OMNIGENAE
LIBERALISSIMO PATRONO

PROPTER
GRATAM BENEFICIORUM MEMORIAM

TAMQUAM
PUBLICUM PIETATIS ET REVERENTIAE
TESTIMONIUM

D. D. D.

R. S. DR.

PRAEFATIO.

Duobus fere abhinc annis ego inter curas et occupationes scholasticas institui hunc, quem iam in lucem emitto, libellum perscribere. Edidi illo tempore Coniectaneorum in poetas latinos minores particulam in eaque commentationem vulgavi quandam de Gratii carmine venatico, alia occasione natam annalibusque gymnasii Heiligenstadiensis a. 1830. praefixam. Consilium erat autem, Gratii poetae venatici novam parare editionem, ferebarque maxime ad eam rem ipsius carminis praestantia, quam ab inveterata oblivione contemptuque longinquo ac situ ista commentatione equidem mihi videor vindicasse. Nunc, ut totum aliquid et plenum efficiatur, duo poetae, qui Romanorum Cynegetici solent appellari, prodeunt coniunctim duobus additis fragmentis de aucupio, quae Olympio Nemesiano vulgo assignantur atque cum reliquis rerum et materiae quandam necessitudinem habere videbantur. Itaque hoc poetarum corpusculum ab librariae moderatore ea conditione est acceptum, ut textui tum emendandi tum explicandi caussa adderem com-

mentarium, atque obsecundandum erat tanto magis ipsius voluntati, quanto minus adhuc ad accuratiorem carminum intelligentiam ex Batavorum quorundam crassa et indigesta doctrina utilitatis percipi posse, ipse intellexi. Textum igitur edidi eum, quem Io. Christianus Wernsdorfius vulgavit in collectione poetarum Latinorum minorum tom. I., expressum fere ad exemplar K. A. Kuettneri (Mitaviae MDCCLXXV.), non quod eum ubique probarem, sed ut aliqua ratione textus constaret incredibili coniecturarum copia variatus. Alioqui equidem temeritatis crimen vix potuissem evitare; id quod facile intelligent, qui secum reputaverint, in tanta librorum MSS. inopia coniecturarum nec modum posse nec fidem magnopere esse; neque ego corrigendi tam sum intemperans, ut pro veris venditare audeam, quaecunque vel casus aliquis fortuitus effuderit, vel quae meditando atque investigando invenerim. Quamquam hic illic textus a me mutatus est, ubi vulgata scriptura vel prorsus vitiosa vel ab aliis immerito castigata videretur. Veluti — ista enim admodum pauca — versu 211. non dubitavi verba ea ratione interpungere, quam exposui Commentationibus p. 97. Tum versu 308. reponere emendationem aliquam certe in tanta vulgatae scripturae corruptela iudicabam commodissimum esse. Cetera, utpote minutissima, lectoribus, ut ipsi inveniant et notent, relinquo. In scripturae varietate,

quae est textui subiuncta, ab Wernsdorfio non videbatur recedendum esse, praeterquam quod Friderici Iacobi ascriptae sunt emendationes, quas ille tum programmate suo Posn. a. 1826., tum in censura versionis Perleti typis imprimendas curavit Annalibus philologicis et paedagogicis a. 1826. Tom. II. Vol. I. p. 128. — 185. Sed errore meo est commissum, ut Nemesiani v. 181. *omitteretur* bona sane coniectura Iohnsoni: *spectaverit.*

Venio ad Commentationes. In his conscribendis via et ratio patebat duplex. Aut enim curandum erat, ut Titii, Barthii, Ulitii, Iohnsoni, Petri Burmanni, Wernsdorfii animadversiones *integrae una typis* exprimerentur omnes subiicerenturque *simul*, quae suis commentariis vel correxisset vel explanasset novissimus editor; aut ita erat agendum, ut antiquiores commentarios percensendo, disponendo, amputando pariter atque amplificando ad usum meum arbitriumque accommodarem, utque mea tum interponerem, tum adderem notis integris. Ac prius istud si fecissem, quantum, lectores, vestra me patientia abusurum fuisse arbitramini? Nempe, ut iam de Petro Burmanno aliquid commonefaciam, eius quidem in Gratio non minus quam in Valerio illo Flacco, non utilitate, sed linearum paginarumque amplitudine omnis est labor aestimandus. Itaque ego alteram rationem sum amplexus; in qua re erunt multi, scio equidem, qui parvi meam opellam faciant. Sed

illos monitos velim, me ipsum facere minimi. Laboravi autem impedimentis duobus maxime, quorum unum erat in cernenda ac purganda antiquiorum farragine positum; in qua re dicere nequeo quoties stomachum mihi senserim commotum. Alteram difficultatem facile illi recordabuntur mecum, qui unquam studiis in philologicis lautioris supellectilis inopia laborarunt. — Itaque ex vetustiorum annotationum numero quaecunque satisfacere videbantur, ea vel integra apposui auctoris ascripto nomine, vel in usum legentium ita volui convertere, ut facilius eis atque commodius intelligendi et diiudicandi relinqueretur locus. Quod si in mearum perpetuitate annotationum cuipiam obvenerit, quod est aliorum, id quidem aliter fieri nullo modo potuit; neque ego, hercle, gloriolae alicuius meae magis quam utilitatis sum studiosus.

Iam vero, ut de libris Gratii et Nemesiani, quoad eius fieri potest, quaedam exponantur, sciendum est illud imprimis, librorum MStorum subsidia exstare fere nulla. Codicem quendam Thuaneum Ulitius ad manus habuit in Halieutici Ovidiani editione, sed iste, etsi Gratiani carminis reliquias continebat, erat tamen mutilus. Hunc igitur nunc *MS.*, nunc *Cod. Th.* signavimus in notis et Commentationibus. Eundem coniicimus non alium esse quam illum, quem in catalogo bibliothecae Regiae Parisiensis seculi X. n. 17.

invenit Wernsdorfius, id quod confirmari etiam eo videtur, quod recentiores interpretes praeter unum codicem Longobardicum nominant nullum, veluti Perletus in versione Gratii Germanica Lips. a. 1826. Memorandum est, etsi dubitationis ista omnia plena, quod Gyraldus inquit hist. poet. dial. IV., sibi opusculum de piscibus Ovidii et Cynegetica Gratii et Nemesiani *ostensa* esse Neapoli initio seculi XVI. ab Actio Sannazario asportatumque illud e Gallia in Italiam fuisse. Testatur hoc Pontanus in Epistola ad Actium Sannazarium, quam vulgavit Goldastus in Philologicarum epistolarum Centuria n. XXIII. p. 78. et denuo imprimendam curavit Wernsdorfius in Testimoniis et Iudiciis de Gratio, Poet. Lat. Min. Tom. I. p. 19. Qui liber ab Ulitii et Parisiensi libro fortassis non discrepavit.

De editionibus igitur Gratii et Nemesiani fuse egit diligentissimus Wernsdorfius Poet. Lat. Min. Tom. II. in indice editionum Calpurnii p. 34.—51. Earum igitur seriem proponam per annorum ordinem digestam:

I. Ac principem quidem omnium constat, quae e Sannazarii illo libro expressa est ab Georgio Logo, Silesio, editionem esse Aldinam, Venet. 1534. 8. Exstat illa in Bibliotheca Regia Dresdensi et Guelferb. sub titulo: *Poetae tres egregii, nunc primum in lucem editi: Gratii de venatione lib. I. P. Ovidii*

Nasonis Halieuticon liber acephalus; M. Aurel. Olymp. Nemesiani Cynegeticon lib. I. Eiusdem Carmen bucolicum; T. Calpurnii Siculi Bucolica; Adriani Cardinalis Venatio. cum praefatione Georgii Logi, Silesii, ad Antonium Fuccarum, Augustanum. Repetita est eodem a. 1534.

Cum ea plane consentiunt duae sequentes:

II. *Stayneriana.* Augustae Vind. 1534. 8. e Veneta secunda admodum negligenter et festinanter expressa per *H. Staynerum.* Abest in illa Adriani Venatio.

III. *Lugdunensis* a. 1537. 8. apud *Seb. Gryphium.*

IV. *Petrus Pithoeus* inter *Epigrammata et poematia vetera* Calpurnii et Nemesiani eclogas cum Gratii et Nemesiani cynegeticis edidit Paris. 1590. 12. et Lugduni 1596. 8.

V. *Daretis Phrygii de bello Troiano libb. VI., a Cornelio Nepote* (Iosepho Isçano) *latino carmine donati; it: Lucani Panegyricum ad Calp. Pisonem, Gratii et Olympii Cynegeticon, Rufi Festi Avieni descriptio orbis, Olympii et Calpurnii Bucolicon.* Antwerpiae apud *Ioach. Trognaesium* 1608. 8. Expressa est ad exemplar Pithoei.

VI. *Venatici et Bucolici poetae latini, Gratius, Nemesianus, Calpurnius, cum commentariis Casp. Barthii. Acc. fragmenta Vespr. Spurinnae. Hanoviae* 1613. 8. Ea est editio ad

Pithoeanam expressa, simulque Barthii ipsius commentarios et coniecturas continet. Praeterea memorabilis est propter veterem librum, quem ille suis animadversionibus ad Gratium, Nemesianum et Calpurnium iactare solet quemque Longobardicis litteris impressum eo, quo ipse scribebat, tempore, saeculi aetatem excessisse affirmat ad Calpurn. Ecl. III., 38. IV., 34. 40., ita ut ad a. 1513. referenda foret: nactum se eam esse in ruinis veteris coenobii ad silvam Hercyniam, monet ad Claudian. p. 147., sed nec annum nec locum expressum esse. At Barthium istum, immensae ceteroqui hominem eruditionis, mendacii *olim tenuit manifestum* Ianus Ulitius cum Wernsdorfio, viro candidissimo, Poet. Lat. Min. Tom. II. p. 42. Fictus est iste a Barthio liber Germanicus, ipsius tamen commentarios non contemnendos esse, censet Wernsdorfius.

VII. *Gratius, Nemesianus, Calpurnius cum Darete Phrygio.* Duaci 1632. 8. Edidit Alexand. Carol. Trognaesius, Ioachimi filius ad Trognaesianam antiquiorem num. V. commemoratam.

VIII. Omnes priores tum studio tum ingenii fructu uberiore superavit, quem plurimi facit Wernsdorfius praef. ad Grat. et Nemes. Poet. Lat. Min. T. I. p. 16. 17., Ianus Ulitius, Archigrammateus Bredanus, libro suo: *Iani Ulitii Venatio Nov-antiqua*, h. e. Auctores rei venaticae antiqui, cum Bucolicis Neme-

siani et Calpurnii, cum comment. I. Ulitii. Ex officina Elzevir. 1645. 12. Ille praecipuam operam Venaticis navavit eosque non solum uberrimo et utilissimo commentario instruxit, sed etiam duobus fragmentis de aucupio adiectis alioque Ponticorum C. Iul. Solini locupletavit. Furtim eius editio libri repetita est 1658. 12. Secundas curas in scriptores venaticos deinceps seorsim edidit a. 1655.

IX. *Christophorus Wasius*, Britannus, Gratium et versione Anglica et notis eruditis instruxit Londini 1654. 12.

X. *Thomas Iohnsonus*, item Britannus, homo sagacissimi ingenii, Gratii et Nemesiani Cynegetica cum variis scripturis et notis vulgavit Londini 1699. 8. Castigavit Gratium exemplaribus usus antiquis; libris MSS. usum esse Fabricius contendit. Nemesiano notas Ulitianas adiecit cum suis. Addidit praeterea Hieronym. Fracastorii *Alcona*, sive carmen de cura canum venaticorum, Ioannis Caii libellum de canibus Britannicis, item opusculum vetus, *Κυνοσόφιον* dictum, quod etiam Auctoribus rei accipitrariae Lutet. 1612. 4. editis, insertum est p. 259. cf. Wsd. l. l. p. 17.

XI. Nemesianum separatim evulgavit Christianus Fridericus Schmidtius, Luneb. 1716. 8.

XII. *Poetae latini rei venaticae scriptores et bucolici antiqui*, cum notis integris doctorum virorum. Lugd. Bat. et Hag. Com. 1728. 4. Complecti-

tur in venaticos Barthii, Ulitii, Th. Iohnsoni aliorumque notas. Editionem omnium splendidissimam vocat Wernsd. P. L. M. T. II. p. 48.

XIII. *Poetae latini minores, cum integris doctorum virorum notis, et quorundam excerptis, curante P. Burmanno. Leidae* 1731. Tomi II. 4. Ex his Gratii et Nemesiani Cynegetica, fragmenta de aucupio atque eclogas Nemesiani et Calpurnii continet prior tomus. Ac nullus quidem Burmanno locupletior, sed nullius paene labor molestior est; e quo si perpenderis animo, quid ad explicationem poetae, non, *mehercule*, usitato more loquentis, incrementi accesserit, boni non multum, inutilium rerum plurimum invenies. Qui si modum tenuisset certum pariter ac fructuosum, nec in alia omnia excurrisset, maiorem ab legentibus iniisset gratiam. Textus a Burmanno recensitus typis elegantissimis iteratus est Glasguae a. 1752. 8.

XIV. *Gratii Falisci Cynegeticon et M. Aurel. Olymp. Nemesiani Cynegeticon cum notis selectis Titii, Barthii, Ulitii, Iohnsoni et Petri Burmanni integris (cura C. A. Küttneri).* Mitaviae 1775. 8.

XV. *Poetae latini minores. Tomus primus, complectens Gratii Falisci, M. Aurel. Olympii Nemesiani etc. etc. carmina et fragmenta. Curavit Io. Christ. Wernsdorf.* Altenburgi 1780. 8. Rationem instituti sui edendique consilium Vir optimus pariter

ac doctissimus praefationibus ipse suis sat abunde declaravit. Eius cura tum in eo cernitur, quod varietatem scripturae collegit quam accuratissime, tum quod rerum ac sententiarum perpetua explicatione usui legentium inserviit, tum vero maxime quod commentariis quibusdam, seorsim quasi corollarii loco adiunctis, uberius qnasdam res et accuratius illustravit.

XVI. Restat, ut nominem Fridericum Iacobum, a quo meliorem lucem exspectat Manilius poeta. Is programmate quodam suo Posniani gymnasii annalibus a. 1826. praemisso Gratii aliquot versus et explicavit et correxit etiam, addiditque priorum XX versuum versionem Germanicam studiose et eleganter elaboratam. Idem versionis Perletianae censor — quamquam istam commemorasse taedet — (Annall. philolog. et paedagog. a. 1826. Tom. II. Vol. I. p. 120.—130.) coniecturas protulit suas quasdam. Sed de plurimis Virum eruditum, decretis suis iterum iterumque examinatis, aliter iudicaturum credo.

Denique exemplo usus Wernsdorfi notas apponam, quibus tum in varietate scripturae, tum meis Commentationibus editiones Gratii et Nemesiani signatas invenies:

MS. Codex Thuaneus Ulitii.

A. Aldina, Venetiis 1534.

St. Stayneri, Augustae Vind. 1534.

Gr. Gryphiana, 1537.

G. Germanica Barthii, ἄτοκος ab Ulitio dicta.
P. Parisiensis vel *Pithoeana*, 1590.
L. Lugdunensis vel *Pithoeana* altera, 1596.
B. Editio Barthii cum ipsius commentariis, 1613.
Ulit. Editio Ulitii, 1645.
W. Wasaeana, 1654.

Nunc de utriusque poetae vita, scriptis et ingenio, quantum fieri cunque poterit, breviter dicendum est. Gratium Falisci cognomine primus appellavit Casp. Barthius, eius codicis auctoritate usus, quem iactat ad Calpurnium Ecl. III., 88. IV. 84. 40. At istum librum fide destitutum esse omni, supra notavimus. Accedit, quod ne nomen quidem ipsum ulla potest ratione stabiliri. Fuerunt enim, qui versu Gratii 40.:

At contra nostris imbellia lina Faliscis

patriam indicare suam poetam autumarent. Qua quidem opinione non minus lapsos esse istos intelligo, quam qui Calpurnio, Siculo quidem illi, ut videtur, ex illius Idyll. IX. versu 52.:

nostra Dione
Quae iuga celsa tenes Erycis

patriam assignarunt Siciliam insulam. Verum Gratii illa verba quomodo explicari possint, etsi interpretandi ratio exstat multiplex, uno modo satis erit periclitari. Constat enim, Faliscorum agrum fertilitate pariter atque omni rusticae vitae amoenitate abundasse. Et Faliscos scimus inter Etruriae populos rei rusticae,

pecuariae ac venationi imprimis deditos fuisse. cfr. Ovid. Fast. I. v. 84. Itaque regionem Faliscam opulentiores villarum domini prae ceteris frequentarunt. Villarum suarum, quas prope Falerios habuit, felicitatem proprio quodam suo metrorum genere decantavit A Septimius Serenus, poeta, Terentiano Mauro teste p. 1224. Putsch. Eundem igitur falso Faliscum patria esse contendit Ios. Scaliger comment. ad Moretum Append. Virgil. p. 158. Iam si venationis amplitudine insignita fuerunt Faliscorum arva, qua ratione et caussa Gratius *nostris* dixerit *Faliscis*, liquet opinor. Quum enim ipse venator esset, ut suspicamur, *nostris* pronomine adhibito gratae loci istius recordationi indulget.

Deinceps aetas poetae, si modo fieri potest, definienda. Ac primum quidem satis constat, veterum scriptorum neminem mentionem fecisse Gratii praeter Ovidium Ep. ex Ponto IV., 16. v. 34.:

Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas,
Aptaque venanti Gratius arma daret —

quibus verbis immortalitatem cum reliquis poetarum principibus, tum Gratio videmus esse promissam. Commemorare eum Sidonium Apollinarem, ait Ioann. Iovianus Pontanus Epistola ad Actium Sannazarium, Neapoli scripta a. MDIII., quam vulgavit Goldastus in Philolog. Epist. Centur. n. XXIII. p. 78. (apud Wernsd. Tom. I. p. 19.) Sed iste error memoriae est.

est. Iam vero pellit animum, quod scriptum exstat in libello Frid. Iacobi Posn. a. 1826. p. 10., neque nomen Gratii esse verum, immo *Gratianum* pronuntiandum, neque hunc esse illum poetam ab Ovidio commemoratum, idque dudum esse doctis ab hominibus iudicatum. Quae opinio, si esset vera, duobus illa niteretur argumentis, aut librorum MSS. testimonio, aut mediocritate carminis, quod praestantissimis non annumerasset Ovidius, peritissimus Musarum existimator, nisi laude esset omni ex parte dignissimum. Prius incognitum mihi quidem, absurdum posterius. Namque dignissimum profecto carmen Ovidii illa praedicatione. Quocirca, donec alia probantur, statuo equidem, eundem esse nostrum poetam atque illum ab Ovidio nominatum, in qua re anonymum censorem programmatis mei in Seebodi et Iahni Annalibus a. 1831. Tom. II. Vol. III. p. 350. plane habeo assentientem. Sed non praetermittendum videtur aliud testimonium, quamquam non eadem perspicuitate illustratum. Namque Manilii Astronomicis II. v. 43. quam Ricardus Bentleius refinxit scripturam:

Ecce alius pictas volucres ac secla ferarum,
Ille venenatos angues, hic gramina et herbas
Fata refert vitamve sua radice ferentes.

ei praeferenda est flagitante sententia antiquior illa:

Ecce alius pictas volucres et b e l l a *ferarum,*

Scilicet fefellit Bentleium memoria Lucretii II. v. 1076.:

et varias hominum gentes et secla ferarum.

Atqui cum in propatulo sit, venaticorum genus carminum istis *ferarum bellis* significari, neque ante Manilii aetatem cýnegeticorum ulla, excepto Gratio, investigari carmina possint, facile poterat in mentem Scaligero incurrere comm. ad Manil. p. 104. ed. Argent. 1655., ab Wernsdorfio qui citatur prooem. de Gratio etc. p. 8., Gratii cynegetica ab Manilio significari; in qua re ulterius licebit coniectando procedere. Quod si statuimus, vere indicasse olim Scaligerum, Gratii vides aetatem atque Ovidii cum Manilii vita apprime quadrare. Namque Manilium Augusto imperitante florentem Tiberii aetas attigit, dudum indice Vossio de poet. lat. p. 86. Quae cum ita se habeant, non ultra Augusti aetatem Gratium vixisse patet, qui cum versu 313. Aegyptiaci regni ruinam leviter attingat, non potuit ante annum XXX. a. Ch. diem obire, quamobrem Ovidio pariter atque Virgilio videtur aequalis fuisse.

Ac de nomine Gratii eiusque gente ac vita nihil novi sane exponi potest post Wernsdorfium. In eo consentiunt omnes, Gratiorum gentem obscuram admodum, ignobilem et plebeiam fuisse nec fama aut facto aliquo notabilem. Nec ante Ciceronis aetatem eius nominis vestigia exstant. Cfr. Cic. pro Arch.

poet. c. IV. Hinc est, quod Wernsdorfio videbatur noster servili conditione natus et libertus nobilis alicuius Romani fuisse. Eius rei argumenta tum ipso ex nomine, tum ex studii genere ac venationis experientia duxit. Enimvero quod uno tantum nomine inscribitur Gratius, id quidem mirandum non est, si civis Romanus non fuit, nec patroni, qui manu miserat, nomen voluit usurpare. Exemplo est Phaedrus, Augusti libertus, et Columella, nomen olim servorum auctore Donato ad Terent. Phorm. III., 1., 57. Itaque, ut Wernsdorfium sequamur, Gratii nomen in lapidibus antiquis inter libertorum nomina apparet gentili nomini appositum. Veluti TIB. CLAUDIUS AUG. LIB. GRATIUS in Gruteri Inscriptt. pag. 582., 2. pag. 652., 8., Q. IUNIUS GRATIUS ibid. p. 876., 4., L. VITELLIUS L. LIB. GRATIUS ibid. p. 1114., 4., ut Gratii nomen servis videatur quasi sollemne fuisse. Adduntur apud Wernsdorfium L. Gratius Glaucus, L. Gratius Eutiches, Q. Gratius Xanthius e Grutero p. 324., 7. 913., 6. et 7. Nobiles autem Romani in fundis et villis suis inter operas rusticas habebant aucupes, piscatores et venatores, qui mensas dominorum quotidianis epulis instruebant. Horat. Epist. I., 6., 56. Martial. Epigr. III., 58., 26. Pignorius de servis p. 370. (cf. Wernsd. T. I. p. 5.) Videtur igitur venationis artem ipse exercuisse Gratius; cui opinioni argumentum accedit ex iis, quae ad v. 300.

Ulitio et Wernsdorfio carmen est divulgatum. Nam nomina piscium non minus quam ordo nominum apprime quadrat. Illud vero Ulitii argumentum prorsus est nihili aestimandum. Ergo quae vetus scholiastes ad Horat. Carm. II., 5. ex Ovidio protulit et quae a Quintiliano pariter ac Seneca tragoediarum epigrammatumque scimus Ovidii fragmenta descripta esse; ut e multis promantur pauca, eane, nisi librorum MSS. auctoritate stabilita, ab Ovidio abiudicare placet? Hic erat considerandum, ne quid suapte natura isto in carmine abhorreret ab Ovidio. Quod si Halieuticorum fragmentum asperius atque adeo impolitius est stilo Nasoniano iudicandum, quid mirum? Namque *inchoatum*, ut inquit Plinius l. l., neque perfectum est ab Ovidio; cui cum in Ponto illo inhospitali ingenium non minus quam corpus infrigesceret, quis tandem ab illo opus omnibus partibus perfectum absolutumque expectaverit? Itaque Wernsdorfium ego censeo cum Ulitio errasse, qui tantopere falsum esse Plinium sit arbitratus, ut carminis aliqua inscriptione, quae *Pontica* fortassis esset, deciperetur scriberetque eam ob caussam: quae in *Ponto* nascuntur. Quorsum haec disputaverim, quaeris? Nempe ut vindicarem Halieuticorum fragmentum Ovidio propterea, quod Ulitius l. l. et Barthius Advv. XLIX., 2. 11. Gratium opinati sunt eius carminis esse auctorem non refragante Wernsdorfio.

Hactenus de vita Gratii et carminibus, quae et qualia videretur aut non videretur scripsisse, vidimus. Iam vero, in quo summa huius praefationis cernitur, qualis illa poeta sit, est dicendum. In ea re quaestio iterum efficitur bipartita; quae est et de materia carminis et de genere dicendi, quem stilum poetae et χαρακτῆρα vocant. Ac didacticum carmen quale sit *satis* constat inter eruditos. Magna est autem in hoc genere inter veteres poetas discrepantia. Aut enim acquieverunt in rerum ad artis doctrinam necessariarum enumeratione, easque metrorum vinculo ad poesis colorem ornatumque alligarunt; aut, quod prae*stantissimorum* proprium videmus esse, quaecunque describuntur, supra usus quotidiani exilitatem artis lege quadam altioris extolluntur. Quam quidem in eo cernimus artem, ut, quaecunque didactico in carmine vitae sunt vulgaris, ea divinitus et nata videantur et administrata esse utque divinis in rebus domicilium proprium suum habere videantur. Illud vero artificium, etsi non excogitatum, at certe adhibitum optimis ab Romanorum poetis est; (eorum enim sufficiat commemoratio). Itaque Virgilii illa Georgica non tamquam rusticarum rerum disciplinam aliquam, sed ut liberam artis et ingenii inventionem divino quasi fonte promanantem admiramur. Iam vero Gratius quam feliciter non modo attentaverit, sed etiam assequutus sit Maronis laudem, a nemine hucusque video

demonstratum. Non est autem ullus, ut arbitror, poetarum didacticorum, cuius tam inquinata eruditorum iudiciis praestantia sit, quam hic. Qui etsi in rebus, quae ad artem venationis pertinent, describendis aliquoties est obscurior, in sermone tamen nihil vulgare inest aut exile, ut in ipsa materiae tenuitate altior quidem ac prope divinus spiritus sit. Nihil est non deorum auctoritate inventum et administratum, ut inter deos quasi ipsos lector se delatum sentiat legendo. Itaque in disponendis nectendisque sententiis, quam rationem et artem carminis dicere solemus, optimorum in hoc genere laudem aequavit, multos etiam superavit; sed, quod est alterum nostra in censura, ipsum genus dicendi impeditum, arduum, salebrosum nec liberum ab obsoletae antiquitatis affectatione Quamquam ne hoc quidem sine consilio videtur et ratione factum. Namque, ut omnia in Gratio pietatis ac relligionis prae se colorem ferunt, quae hominum quidem opinione antiquioris aevi solet propria esse, ita sermonem etiam non temere ad vetustum loquendi morem composuit Gratius.

Facilior est ac multo expeditior aditus ad Nemesianum. Quem princeps editio Aldina a. 1534. vocat *M. Aurelium Olympium Nemesianum*, Vopiscus vero vita Numeriani c. 1. *Olympium* dicit *Nemesianum*. Addit Wernsdorfius ex medio aevo Hincmarum Remensem, a quo Carthaginiensis Au-

relius salutatur, et *poeta Carthaginiensis* inscribitur in fronte exemplaris antiqui. Soló *Olympii* nomine dicitur ab vetere scholiasta Statii, Lactantio ad Theb. II., 58. et V., 389. Hinc vere putatur, praecipuum nomen fuisse *Olympium*, Nemesianum cognomentum familiae, a patria maiorum ortum. Atque Olympium, Comitem Africae, ex Augustino epist. 124. 129. et *Cod.* Theod. leg. 42. de haeret., itemque Olympium, Hispanum Episcopum e Gennadio libr. de S. E. cap. 23., Augustino libr. contra Iulian. Pelag. et Paulino epist. 87. commemorat Wernsdorfius. Afrum fuisse, patria Carthaginiensem contendit Petrus Crinitus de *Poetis Latinis* c. 82., id quod cognomentum poetae visum est probare. Vide, quos ex historia ecclesiae christianae Nemesianos laudat Wernsdorfius praef. p. 10. 11., Afros istos quidem omnes, ut in Africa praecipue celebre illud nomen fuisse videatur. Itaque Nemesianos videri dictos ait ab oppido Marmaricae Nemesio, vel, quod male praestabilius putat in Addendis p. 294., a Nemesiorum nomine, ut a Claudiis Claudianos, a Tiberiis Tiberianos. Significavit autem, ut arbitror, patriam suam Africam v. 317. Porro putatur patre fuisse usum nobili, splendidis honoribus aut magistratu aliquo functo. Quod si verum esset illud, in quo lapsi sunt Calpurnii veteres interpretes, Meliboeum illum a Calpurnio celebratum esse nostrum Olympium, rempublicam etiam attige-

rit necesse est. Sed iste quidem error natus est ex corruptela editionis Parmensis Ugoletti, Barthii, Florentinae secundae cum comm. Tit. a. 1590., in quibus prima ecloga Calpurnii inscripta est: *ad Nemesianum Carthaginiensem.* Haec sunt corrupta et ab grammatico inventa. Ulitius reposuit: *ad Numerianum Caesarem.* Effectum tamen ista est corruptela, ut sub Meliboei nomine falso crederetur Olympius delitescere. Sed ista cuicuimodi sunt, insigni poesis laude floruit Nemesianus poeta. *Omnibus enim coronis illustratus emicuit,* inquit Vopiscus l. l., ut recte emendat Casaubonus pro *omnibus coloniis.* Usus est autem Cari et Numeriani imperatorum gratia et familiaritate singulari, quem honorem non ingenio solum, sed dignitati etiam a natalibus tradunt poetam debuisse. Quid quod Ianus Ulitius coniecit comment. ad tit. Cyneg. Nemes., cognationis vinculum Olympium inter ac Caesares fuisse, quia Carus eiusque filii passim in monumentis *Marci Aurelii* vocentur. Erat autem aetas Olympii certaminibus istis poetarum insignis, quae exemplo ἐπιδείξεων vel ἀγώνων Graecorum amabant Romani, quaeque Augusti tempore apud aedem Apollinis Palatini habebantur. Ibi scilicet apparebant poetae magno apparatu, loti, uncti, pexi, nitidi, novis vestibus induti, gemma annuloque ornati (vid. Pers. Sat. I. v. 15.), recitantes sua carmina coram iudicibus selectis, ad quos, quasi ad emen-

datores, sua opera afferebant, ut ingenium simul et vocis praestantiam expenderent, tamquam ad egregium artis et studiorum experimentum. Cui ignotus est Spurius iste Metius Tarpa apud Horatium Sat. I., 10., 38. et Tullium ad Fam. VII., 1., arbiter in hoc genere longe celeberrimus! Ita quidem poetae dicebantur *committi*, res ipsa *commissio* est appellata. Atque illud *committere* Suetonio est frequentissimum, veluti Calig. 18. 41. Claud. 21. 34. Aug. 43. Galb. 6. Cfr. etiam Iuvenalem Sat. lib. I., 1. v. 164. et Tertullianum adv. Gnosticos apud Casaubonum ad Suet. Aug. c. 89. Sed in theatro etiam, amphitheatro vel in *basilicis* eiusmodi certamina instituebantur. Quin etiam in loco privato, ut in auditorio, exhibebantur; donec Aelius Hadrianus imperator magnificum illum artium ingenuarum ludum constituit, quod Athenaeum vocatum commemoratumque est ab Aurelio Victore de Caes. c. 14. Commissiones autem ad curam praetoris, qui ludis praeerat, pertinuerunt. Illud igitur studiorum incitamentum adeo Nemesiani aetate percrebruerat, ut praeter optimos poetas etiam imperatores ad ludorum ac certaminum oblectamenta descenderent. E poetis Vopiscus l. l. Nemesianum et Aurelium Apollinarem, iamborum scriptorem, nominat, nec alienus ab hoc genere Calpurnius fuit, aequalis Olympii, qui Ecloga II. et VI. ista poetarum certamina videtur significare, apud quem arbitros carmi-

num Thyrsin fuisse constat Ecl. VIII. v. 11. atque imprimis Meliboeum. ibid. v. 15. 60. Ille igitur Meliboeus non Olympius Nemesianus, sed magister officiorum aliquis fuit, ut probabiliter monstravit Wernsdorfius Poet. L. M. T. II. p. 8. sqq. Ceterum Caro ac Numeriano adeo familiaris fuit Olympius, ut non solum laudem Caesarum magnifico sit praeconio prosequutus, sed etiam cum Numeriano, litterarum et eloquentiae studiosissimo, versu saepe contenderet, id quod Vopisci testimonium probat.

Scripsisse Nemesianum *ἁλιευτικὰ*, *κυνηγετικὰ* et *ναυτικά*, commemorant Vopiscus et, qui sequitur eum, Petrus Crinitus de poetis Latinis cap. 82. Idem, a Ioanne Boccacio citari eius versiculos, memoriae errore, ut videtur Wernsdorfio, contendit. Eorum igitur nullum exstat praeter cynegeticum. De nautico ne memoriae quidem traditum quicquam est. Halieuticorum tamen Nemesiani fragmenta exstare in carmine, quod primus a Sertorio Quadrimano e codice vetustissimo descripsit ediditque Hieronymus Columna in commentario ad Ennii fragmenta p. 153., quodque seorsim cum scholiis vulgarunt Conr. Gesnerus a. 1556. et Ulitius, suspicatur Wernsdorfius Tom. I. Poet. Lat. Min. p. 148.; in eadem est sententia Modius Novantiqu. lect. epist. XVII. Eum quidem Sertorium, hominem fraudulentum satis atque imperitum, composuisse suum carmen ex Ovidiano vetustiore, admi-

stis aliis, Wernsdorfius vidit, sed, quod Nemesianum vult auctorem inde eruere, quoniam praeter stili quandam similitudinem et verba aliquot Nemesiani propria nulla alia argumenta attulit, nemini potest persuadere suam opinionem. Deinceps est commemorandum, quod inde ab codice interpolato, quem vetusta Parmensis editio expressit, in sequentes libros typis excussos tamquam inveteratus error invasit, quattuor eclogas, quae post Calpurnii bucolica leguntur, scripsisse Nemesianum. Quin etiam in codice Calpurnii Gothano post septem priores eclogas leguntur verba: „*Haec sunt, quae de Calpurnio inveniuntur.*" Id quam esset falsum, iam Ulitius vidit initio commentarii ad Nem. cyn. et praefatione ad Calpurnii eclogas, assentientemque habuit Petrum Burmannum praef. ad Poet. Lat. Min. Illas esse Calpurnii omnes non potest demonstrari luculentius, quam ab Wernsdorfio est factum Tom. II. p. 15—26.

Carmen de laudibus Herculis, quod post carmina Claudiani vulgo in editionibus legitur, Nemesianum, iam grandem aetate, composuisse arbitratur Wernsdorfius tribus argumentis adductus. Ac primum quidem confisus est annotatione Lactantii Placidi ad Statii Theb. II., 58., qui: *poetae*, inquit, *denique omnes asserunt leonem de his polis ortum, quem Hercules prostravit, ut etiam Olym-*

pius ait. Ea verba ad carminis versum 120. pertinere putat:

> — — *Taurus medio nam sidere Lunae*
> *Progenitus Dictaea Iovis possederat arva* —

quibus taurus Cretaeus significatur e luna ortus. Alterum argumentum ex sermonis similitudine et verborum ac sententiarum quadam convenientia petitum. Tertium denique in carminis ipsius argumento situm esse credit. Namque senior Olympii aetas in Diocletiani et Maximiani aetatem ait incidere poetamque versu 10.:

> *Alcides mihi carmen erit Romana Tonantis*
> *Progenies* — —

laudibus videri Maximianum illum Herculium celebrasse, de cuius cognomento videndus auctor Panegyr. Maxim. et Constant. c. 8. Haec igitur argumenta etsi ingeniose prolata, tamen sunt eiusmodi, ut facile dubitandi facultatem relinquant. Lactantii enim verba ne cum verbis quidem in carmine conveniunt, et possunt ad aliud etiam carmen Olympii spectare deperditum, quemadmodum eiusdem Lactantii verba ad Stat. Theb. V., 389.: *sic in Olympio: abiungere luna iunices.* Alterum argumentum ita est comparatum, ut potius contrarium videatur probare posse. Quis enim poeta paullo eruditior tantopere verborum ac sententiarum inopia laboraverit, ut

diversis in carminibus paene eadem eloquatur? Id quod imitatorem potius aliquem prodere videtur. Tertium denique argumentum etsi est speciose inventum, tamen non ita est luculentum, ut pro certo haberi quicquam possit.

Ac de fragmentis de aucupio quid statuendum videretur, Commentationibus est declaratum.

Carmen Olympii venaticum, quod typis expressum est, mutilum esse, tum ex ipsius ratione et mensura patet, tum suis ipse verbis declaravit poeta. Nam prooemium quidem tam longum quis in brevitate ista totius carminis composuisset paullo peritior. Videtur autem bipartitum habuisse argumentum. prima pars omnem venationis suppellectilem atque apparatum comprehendit; in parte altera quid descripserit versibus 237.—239. significavit:

Horum animum moresque simul naresque sagaces
Mox referam.

Hinc, optimam partem carminis, quae est de venatione ipsa canumque virtute, audacia et sagacitate, patet interiisse; quam inde ab versu 321. capere initium, equidem censeo. Iam si de carmine universo vere est aestimandum, quo tempore scriptum a poeta sit, multum attinet sciscitari. Id quod ex Vopisco quidem, etsi videbatur Wernsdorfio, intelligi nequit. Versu

autem 64. videtur indicari, defuncto Caro imperatore eiusque filiis Carino et Numeriano imperitantibus carmen suum venaticum Nemesianum composuisse. Carum enim et *Divum* appellat, et plane silentio eius laudes praeterit, omnem in filios honorem cumulans, quod non fecisset, si adhuc ille in vivis fuisset. At enim totum carmen post mortem Cari non potuit scribere Olympius, valde exiguo temporis spatio a Cari obitu ad Numeriani necem intercedente. Ergo, ut versus isti 64.—85. cum relicuis consocientur, statuendum sic est: Carmen venaticum vivo adhuc Caro scriptum est atque perfectum exordiumque additum Caro defuncto, quo filios Caesares celebraret Carinum et Numerianum. Haec tum ab Wernsdorfio vere sunt intellecta Excursu VIII., tum argumentis sustentantur duobus gravissimis. Nam si sententiarum compositionem consideramus accuratius, Caesarum istud praeconium verbis proximis adiunctum est mirum quantum inconvenienter.

Aurea purpureo longe radiantia velo
v. 85. *Signa micant, sinuatque truces levis aura dracones.*
Tu modo, quae saltus placidos — —

Id est: Vestrum, o Caesares, triumphum tamquam oculis ipse meis videor cernere, Tu modo, Diana facilis, precor, assis! Haeccine? Enimvero si abest totum

totum elogium illud, en, quam recte cohaerent verba:

Dum non magna ratis — —
Nunc primum dat vela notis portusque fideles
Linquit et Hadriacas audet tentare procellas.
Tu modo etc.

Alterum est argumentum in sermonis discrepantia situm. Nam dicendi genus in elogio et in relicuo carmine ita est diversum, ut ab nocte dies non plus differre queat. Quod ut perspiciatur, unicuique relinquo iudicium. Neque vero loquutionis illa differentia tam ab materiae diversitate quam ab arte et eruditione videtur profecta esse. Sed nolo in his verbosior esse. Ceterum, ut etiam locus exstaret, ubi scripserit poeta, versu 251.: *gens ampla iacet trans ardua Calpes* habitationis eruendum testimonium esse, Wernsdorfius existimavit sua annotatione: „*Hispani, qui Olympio in Africa scribenti erant trans Calpen, quae est una columnarum Herculis*".

Sermo Nemesiani, ut verbis utar Iul. Caes. Scaligeri Hypercrit. cap. VII., candidus est nec vulgare sonans, sed Gratio omnino impar. Et praeclari versus sane multi, veluti quum Caesares alloquutus est, non poterat nec elegantior nec elatior esse. In equis etiam describendis admirabili lepore excellit. Arte tamen et ingenio multum ab Gratio superatur. Prae-

terea etsi castigatum plerumque genus est dicendi, tamen pravitate sequioris aetatis haud prorsus abstinuit. Ex hoc genere annotavit *devotio* vocabulum Wernsd. ad v. 88., *frondosa per avia* Titius ad v. 97., *gravedo* Burmann. ad v. 182., *inviscerat* Wernsd. ad v. 214. et plura possunt anquiri.

Scriptum Hagiopoli m. Ian. MDCCCXXXII.

GRA-

GRATII FALISCI
CARMEN VENATICUM.

Dona cano divom, laetas venantibus artes,
Auspicio, Diana, tuo. prius omnis in armis
Spes fuit et nuda silvas virtute movebant
Inconsulti homines vitaque erat error in omni.
Post *alia* propiore via meliusque profecti
Te sociam, ratio, rebus sumpsere gerendis.
Hinc omne auxilium vitae rectusque reluxit
Ordo et contiguas didicere ex artibus artes
Proserere; hinc demens cecidit violentia retro.
Sed primum auspicium Deus artibus altaque circum

Falisci deest in A. Gr. P. Ceterum: *Gratii de venatione seu κυνηγετικῶν liber* A. Gr.; *Cynegeticon* (puta *opus* Wsd.) B. Ulit. Burm.

v. 2. *omnis* deerat in cod. Thu.

v. 5. *alii* Johns. Heins. c. — *profectu* MS.

v. 7. *erectusque* MS. A. Steyn. Gr.; *certusque* B.; *rectusque* Ulit. Turneb. Adv.

v. 8. *continuas* G. et plurimae edd.

v. 9. *Proserere* MS.; *proferre* Johns. — *cessit viol.* B.

v. 10. *circa* Gr. P. alii; *circum* G. Ulit. Was. et Gudius probat ad Phaedr. III, 20.

Firmamenta dedit; tum partes quisque secutus
Exegere suas tetigitque industria finem.
Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,
Qua primam quaerebat opem, dignata repertis
Protegere auxiliis orbemque hac solvere noxa.
Ascivere tuo comites sub numine divae
Centum omnes nemorum, centum de fontibus omnes
Naiades, et Latii cultor qui Faunus amoeni,
Maenaliusque puer domitrixque Idaea leonum
Mater, et inculto Silvanus termite gaudens.
His ego praesidiis nostram defendere sortem
Contra mille feras, et non sine carmine, nisus,
Carmine et arma dabo venanti et persequar artes

---

v. 11. *Fundamenta* G. — *quisque secuti* Heins. ad Ovid. Met. IV, 212. c.

v. 14. *primum* Steyn.; *Quae primam* Scaliger c.

v. 16. *Ascitaeque* Heins. ad Ovid. Fast. I, 512. c.; *accessere* Burm. c. — *nomine* libri omnes; *numine* G. et B. — *Adsis, quaeque, tuo* Fr. Jacob. c.

v. 17. *Centum omnes nemorum, humentes de fontibus omnes* Burm. vestigia sequutus cod. Thuan.: *centum omnes nemor, sumentes de font.*

v. 18. *Naides et Latii Faunus* ** MS.

v. 19. *Idea* Ulit. Was.

v. 20. *Silvani stermite cudens* MS.; *inculto Silvanus termite ludens* Wsd. c.

v. 22. *carmine lesus* MS.; *lusus* Gr. P. alii; *sed non sine carminis usus* (usu) G.; *sed non nisi carminis usu* B.; *non sine crimine lusus* Turneb. c.; *nisus* Ulit. Johns. c.; *sed non sine numine, nisus carmine* Heins.; *et non certamine nudo*, vel *duri certaminis usu* Burm. c.

v. 23. *et arma dabo, et venandi persequar arteis* A. Steyn.; *artem* Gr. Par. Lugdun. Ulit. Was.; *venandi et perse uar*

Armorum; cassesque plagarumque ordiar astus.
Prima iubent tenui nascentem iungere filo
Limbum, et quadruplici tormento astringere limbos.
Illa operum patiens, illa usus linea longi.
Tunc ipsum medio cassem qui nascitur ore,
Per senos circum usque sinus laqueabis, ut omnem
Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem.
Et bis vicenos spatium praetendere passus
Rete velim plenisque decem consurgere nodis.
Ingrati maiora sinus impendia sument.
Optima Cinyphiae, ne quid contere, paludes
Lina dabunt; bonus Aeoliae de valle Sibyllae
Foetus et aprico Tuscorum stupea campo
Messis, contiguum sorbens de flumine rorem,
Qua cultor Latii per opaca silentia Tybris

---

artem cod. Heins. Vulgo distinguunt: *arma dabo, et venandi persequar artem. Armorum casses* cet., verum est apud Wsd.

v. 24. *astis armorum; casses plagiique exordiar ertis* MS.; *Armorum casses plagiique exordiar astus* B. c.; *Armorum cassisque plagaeque exordiar astus* Heins. c.; *cassis plagularumque ordiar astus* Scaliger. c.

v. 25. *nascentem fingere limbo* Turneb. Advv. XXIX, c. 26.

v. 26. *quadruplicis* MS.

v. 27. *usus* deest in MS.

v. 28. *quo* Gudius e cod.

v. 31. *at* G.; *ad* B. — *viceno* MS.

v. 34. *Cyniphiae* omnes libri; *Cinymphiae* MS.

v. 35. *Aeolia* A. Steyn. Gr. P. L. Johns.; *Aeoliae* MS. Ulit. Burm. — *ullae* / *sub una* } MS.

v. 37. *Mensis* MS. et v. 38. non habet.

Labitur inque sinus magno venit ore marinos.
At contra nostris imbellia lina Faliscis:
Hispanaeque alio spectantur Saetabis usu.
Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes aestivi turba Canopi.
Ipse in materia damnosus candor inerti
Ostendit longe fraudem atque exterruit hostes.
At pauper rigui custos Alabandicus horti
Cannabias nutrit silvas, quam commoda nostro
Armamenta operi: gravis est tutela sed illis;
Tu licet Haemonios includas sentibus ursos.
Tantum ne subeat vitiorum pessimus humor,
Ante cave: non est humentibus usus in armis;
Nulla fides. ergo, seu pressa flumina valle

---

v. 41. *Hispanique . . . . Saetabes* A. et Gr. MS. Pith. et Uli; *Sutabes* A.

v. 42. *sacro* G.

v. 43. *vestitur* G. et B. — *Aegypti turba* G.; *festivi turba* Salmasius c. ad Solin. p. 702. ed. Traiect.

v. 44. *in* deest in Par. Lugd.; *Ipsa in* Scalig. c. — *damnatus* B.

v. 45. *exterruit* MS.; *exterritur hostis* A. Steyn. Gr.; *exterritat* Turneb. c.

v. 46. *rigidi cust.* B.

v. 47. *nostrum* MS.

v. 48. *est* deerat in MS.; (*gravis est tutela sed illis*) Ulit.

v. 49. *Tum licet* Scalig. c. — *sentibus* A. Steyn.; *retibus* MS. P.; *cassibus* Turneb. c.

v. 50. *pessimus udor* G. B.

v. 51 *Nulla fides ergo*, librorum ante Ulitium interpunctio.

v. 52. *vallo* G.; *presso flumine vallo* B.

Inter opus crassaeque malum fecere paludes,
Sive improvisus coelo perfuderit imber,
Illa vel ad flatus Helices oppande serenae,
Vel caligineo laxanda reponito fumo.
Iccirco et primas linorum tangere messes
Ante vetant, quam maturis accenderit annum
Ignibus et claro Pleias se prompserit ortu.
Imbiberit tanto respondet longior usus:
Magnum opus et tangi, nisi cura vincitur, impar.
Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,
Semideos, — illi aggeribus tentare superbis,
Ire freta, et matres ausi tractare deorum, —
Quam magna mercede meo sine munere silvas
Impulerint? flet adhuc et porro flebit Adonim

---

v. 53. *crassaeque modum* A. Steyn. Gr.; *crassaeque udum* Pith. c.; *caussaeque malum* MS. P. Lugd. Ulit.; *clausaeque malum* Gronov. e. Iohns.; *crassaeque madefecere* Turneb. c.

v. 55. *flatus* MS. P. Turneb. Ulit.; *fluctus* A. Steyn. Gr.

v. 56. *reponite* MS.

v. 58. *annos* MS.; *annus* Gr. P.; *annum* Scalig. Heins. Graev. (Syllog. Epist. IV. p. 284.)

v. 59. *promisserit* MS.; *et claro Pleias promiserit ortu Imbriferos ventos* Fr. Jacob. c.

v. 60. *respondet longior orsu* A. St. Gr. P. L. Pith.; *longior usu* V. C.; *longor usu* MS.; *longior usus* B.; *despondet longius usu* ed. Ulit. et Burm.

v. 61. (*Magnum opus*) A. Gr. P.; vv. 61—74. post v. 24. Fr. Jacob. ponit.

v. 63. *illi arte deas tentare superbi* Fr. Jacob. c.

v. 64. *Ire* deest in A. St. Gr.; *Iret* MS. P. — *et* deest in A. St. Gr. Par. Lugd. — *ausit* A. St. Gr. Par. Lugd.

Victa Venus, ceciditque suis Ancaeus in arvis,
Vt praedexter erat geminisque securibus ingens.
Ipse deus cultorque feri Tyrinthius orbis,
Quem mare, quem tellus, quem praeceps ianua Ditis,
Omnia tentantem, qua laus erat obvia, passa,
Hinc decus et famae primum patravit honorem.
Exige, si qua meis respondet ab artibus ergo
Gratia, quae vires fallat collata ferinas.
Sunt, quibus immundo decerptae vulture plumae
Instrumentum operis fuit et non parva facultas.
Tantum inter nivei iungantur vellera cygni:
Et satis armorum est. haec clara luce coruscant
Terribiles species: ab vulture dirus avaro
Turbat odor silvas, meliusque alterna valet res.
Sed quam clara tuis et pinguis pluma sub armis,

---

v. 67. *in armis* Heins. ad Ovid. Met. VIII, 313.
v. 68. *Vt* MS. G. Ulit.; relicui omnes *et.*
v. 69. *cultorque* P. Ulit.; *cultosque ferit Tyrint. orbeis* A. St. Gr. *decus* Fr. Jacob. c.
a
v. 71. *qua laus erat abulla psosi* MS.; *passa* vel *pavit* Johns. c.; *sparsit* Burm. c.; *qua laus erat ardua sensit* Fr. Jacob. c.
v. 72. *primus impetravit* MS. Th.; *primum impetravit* MSS. a Johnsono excitati, quod etiam Heinsio placebat; *primus penetravit hon.* Heins. ad Ovid. Art. I. 395. c.; *hinc deus atque arae privum patravit honorem* Fr. Jacob. c.
v. 73. *sespondet* G. annuentibus Barthio et Heinsio; *respondit* MS. Th.
v. 76. *fuit. est non* G.
v. 78. *Et satis armatorum* MS. Th.; *Id satis armorum est. hac clara* Heins. c.
v. 79. *specie* G. — *ad volture dirus abaro* MS. Th.; *at* Wsd. c.
v. 80. *meliusque alterna vellet res* MS. Th.

Tam mollis tactu, et non sit creberrima nexu,
Ne reprensa suis properantem linea pinnis
Implicet atque ipso mendosa coarguat usu.
Hic magis in cervos valuit metus. ast ubi lentae
Interdum Libyco fucantur sandyce pinnae,
Lineaque exstructis lucent anconibus arma,
Rarum, si qua metus eludat bellua falsos.
Nam fuit et laqueis aliquis curracibus usus:
Cervino iussere magis contexere nervo;
Fraus teget insidias, habitu mentita ferino.
Quid, si dentatas iligno robore clausit
Venator pedicas? quum dissimulantibus armis
Saepe habet imprudens alieni lucra laboris.
O felix, tantis quem primum industria rebus
Prodidit auctorem! Deus ille, an proxima divos
Mens fuit, in coecas aciem quae magna tenebras

---

v. 83. *Inreprensa* MS. Th.; *reprehensa* A. St.; ceteri *reprensa*; *ne te pansa* (?) Heins. c.

v. 84. *mendosam se arguat usu* Scaliger.

v. 85. *Hinc* MS. — *valuit dolus* A. St. Gr.; *metus* MS. et P.

v. 87. *Linteaque extritis* St. Gr. P.; *Linteaque expositis* MS. A.; *Lineaque ex tritis* B. et G.; *ex positis* vel *lineaque extructis* Ulit. c.; *extortis* Fr. Jacob. c.

v. 88. *Parum si qua metus eludet* MS. Th.

v. 89. *Nam fuit ut* etc. Gudius Appendic. Phaedr. fab. IV. (pro *postquam*) — *aliis curr.* MS.; *furacibus* Heins. c.

v. 90. Ery. Puteanus *iuss. manus.*

v. 91. *teget* MS. P. Ulit.; *reget* A. St. Gr.

v. 93. *quam* MS.; *cum* Gr. P. Ulit.; *quum* Burm.

v. 96. *condiditavit* G. et B. — *divo* Turneb.; *divis* Heins.

v. 97. *in coeca faciem* MS.

Egit et ignarum perfudit lumine vulgus?
Dic age Pierio, fas est, Diana, ministro.
Arcadium dat fama senem, quem Maenalus altor
Et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae,
Per non assuetas metantem retia valles,
Dercylon. haud illo quisquam se iustior egit,
Aut fuit in terris divom observantior alter.
Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis,
Auctoremque operi dignata inscribere magno,
Iussit adire suas et pandere gentibus artes.
Ille etiam valido primus venabula dente
Induit, et proni moderatus vulneris iram
Omne moris excepit onus. tum stricta verutis
Dentibus et geminas subiere hastilia furcas.
Et quidam totos clauserunt ensibus orbes,
Ne cessaret iners in vulnere massa ferino.
Blandimenta vagae fugies novitatis; ibidem
Exiguo nimiove nocent. sed lubricus errat
Mos, et ab expertis festinant usibus omnes.
Quid, Macetûm immensos libeat si dicere contos,

---

v. 100. *dat* Gronov. c.; *scit* Turneb. c. — *Maenalus autor* St. Gr.; *auctor* P. Ulit.; *altor* Turnebus.
v. 105. *in arvis* Pith.; *armis* G.
v. 108. *aciem valido* G.
v. 111. *in gem.* G. — *furca* MS.
v. 112. *quidam notis* MS. et vetus codex Pith.; *votis* G. — *orbes* deerat in cod. Th.; *clauserunt orbibus enses* Scaliger c.
v. 114. *novitatis ibidem*: Pith. Ulit.
v. 117. *Macedûm* A. St. Gr.

Quam longa exigui spicant hastilia dentes?
Aut contra ut tenero destrictas cortice virgas
Praegravat ingenti pernix Lucania cultro?
Omnia tela modi melius finxere salubris.
Quocirca et iaculis habilem perpendimus usum:
Neu leve vulnus eat, neu sit brevis impetus illi.
Ipsa arcu Lyciaque suas Diana pharetra
Armavit comites; ne tela relinquite Divae;
Magnum opus et volucres quondam fecere sagittae.
Disce agedum et validis delectum hastilibus omnem.
Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri
Cornus et umbrosae Veneris per littora myrtus,
Taxique pinusque Altinatesque genistae;
Et magis incomptus operae *lutoser* agrestis

---

v. 119. *districtas* libri editi; *destrictas* MS. Th. Turneb.

v. 120. *Lucania* MS. et Pith.; *Livania* A. St. Gr. et B.; *Albania* Turneb. c.

v. 121. *Selibres* Put.

v. 125. (*ne tela . . . . opus*) A. Gr. P. Ulit.; *spernite* G. B.; *ne tela relinquite, Div. m. op.* interp. Ulit. Sublata est parenthesis a Johnsono.

v. 126. *sagittas* A. Gr. P. Ul.; *quondandam tacere sagitte* MS.; *sagittae* Johns.

v. 127. *dilectum* MS. Th.; — *omne* MS. Th.

v. 128. *innutritur* MS.

v. 130. *genestae* MS. Th.

v. 131. *incomptos opera lutores agestis* MS.; *in comptus* A.; *incomptus* St. Gr.; *in comptus operae silerinus agrestis* Scaliger c.; *Et magis incomptus operae, loti, sed agrestis, Termes. Ab Eois* cet. Salmasius c.; „f. *in comptûs*“ annot. Gronov. in ora libri sui; *Sed m. in c. opera cultoreque egebit Termes;* Fr. Jacob. c.

Termes, ab Eois descendet virga Sabaeis,
Mater odorati multum pulcherrima turis.
Illa suos usus intractatumque decorem,
Sic nemorum iussere Deae, natalibus haurit
Arbitriis. at enim multo sunt ficta labore
Cetera, quae silvis errant hastilia nostris.
Nunquam sponte sua procerus ad aëra termes
Exiit, inque ipsa curvantur stirpe genistae.
Ergo age, luxuriam primo foetusque nocentes
Detrahe: frondosas gravat indulgentia silvas.
Post vbi proceris generosa stirpibus arbor
Se dederit, teretesque ferent ad sidera virgae,
Stringe notas circum et gemmantes exige versus.
His, si quis vitium nociturus sufficit humor,
Ulceribus fluet et venas durabit inertes.
In quinos sublata pedes hastilia plena
Caede manu, dum pomiferis advertitur annus
Frondibus et tepidos auctumnus continet imbres.

---

v. 135. *lusere Deae* G. — *hausit* ex cod. Th. Fr. Jacob.
v. 136. *facta* MS. et Pith.; *victa* B. ed.
v. 138. *curantur* quidam c.
v. 141. *gravet* MS.
v. 144. *stringe comas* Putean.; *nothas* Johns. c.
v. 145. *quid vitii* Heins. c. — *subiicit h.* G.
v. 146. *Ulceribus* omnes; *visceribus* Wasaeana — *fluit* B. ed.
v. 147. *In quo nos* MS. notante Dorvillio
v. 148. *promiseris* A. St.; *pronus seris dum avert.* Johns. c.; *pomiferis* Gr. et relicui; *adverterit* G. — *annes* MS.; *amnis* Fr. Jacob. c.
v. 149. *Frontibus* MS.

Sed cur exiguis tantos in partibus orbes
Lustramus? prima illa canum, non ulla per artes
Cura prior, sive indomitos vehementior hostes
Nudo Marte premas, seu bellum ex arte ministres.
Mille canum patriae, ductique ab origine mores
Cuique sua. magna indocilis dat proelia Medus,
Magnaque diversos extollit gloria Celtas.
Arma negant contra Martemque odere Geloni,
Sed natura sagax: Perses in utroque paratus.
Sunt qui Seras alant, genus intractabilis irae.
At contra faciles magnique Lycaones armis.
Sed non Hyrcanae satis est vehementia genti
Tanta: suis petiere ultro fera semina silvis.
Dat Venus accessus et blando foedere iungit.
Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter
In stabulis, ultroque gravem succedere tigrim
Ausa canis, maiore tulit de sanguine foetum.
Sed praeceps virtus ipsa venabitur aula:
Ille tibi et pecudum multo cum sanguine crescet:

---

v. 151. *Lustramur* A. St. Gr. — *ulla partis* MS.; *peritis* Ulit. c. — *premit illa canum* Fr. Jacob. c.

v. 155. *Quosque* pro *quoique* MS.

v. 158. *in utrumque* not. Heins. in marg.

v. 159. Post *genus* relicua desunt in MS.

v. 162. *Tanta suae* Burm. Jacob.; *nata* Johns. c.; *ultra* G.

v. 165. *gravem* Ulit. c.; *uteroque gravi* vel *gravem* Heins. c.; *lustroque gravi* (vel *gravis*) *succ. tigris* Graev. in epist. c. — *Tigri* B.

Pasce tamen; quaecunque domi sibi crimina fecit,
Excutiet silva magnus pugnator adepta.
At fugit adversos idem quos reperit hostes
Umber. quanta fides, utinam, et sollertia naris,
Tanta foret virtus et tantum vellet in armis!
Quid freta si Morinûm dubio refluentia ponto
Veneris, atque ipsos libeat penetrare Britannos?
O quanta est merces, et quantum impendia supra!
Si non ad speciem mentiturosque decores
Protinus; — haec una est catulis iactura Britannis —
At magnum cum venit opus promendaque virtus,
Et vocat extremo praeceps discrimine Mavors;
Non tunc egregios tantum admirere Molossos.
Comparat his versuta suas Athamania fraudes,
Acyrusque Pheraeque et clandestinus Acarnan.
Sicut Acarnanes subierunt proelia furto;
Sic canis illa suos taciturna supervenit hostes.
At clangore citat, quos nondum conspicit, apros
Aetola quaecunque canis de stirpe, — malignum

---

v. 170. *excuset* Gronov c. Observ. II, 13.
v. 171. *quo rep.* G.; *qui* B.
v. 176. *et merces* Heins. c.
v. 178. Parenthesis abest in vet. edit. — *catuli Britanni* G.
v. 179. *Ad magnum* omnes; *at* Barth. c.
v. 182. *Comparat* P. Ul. Burm.; *Cum parat* A. St. Gr.; *comparet* Burm. c.
v. 183. *Acytusque* Gesner. c.; *Taygetusque* Ul. c.; *Ascyrus* Scaliger c.; *Epirusque* Gronov. c.; *Argivus* Heins. c.
v. 184. *Sic ut* P. B.; *Sic et* A. St. Gr.
v. 186 *clamore* c. Marklandus ad Stat. Silv. I, 4, 55.

Officium — sive illa metus convicia rupit,
Seu frustra nimius properat furor. et tamen illud
Ne vanum totas genus aspernere per artes;
Mirum, quam celeres et quantum nare merentur:
Tum non est victi cui concessere labori.
Iccirco variis miscebo gentibus usum.
Quondam inconsultis mater dabit Umbrica Gallis
Sensum agilem: traxere animos de patre Gelonae
Hyrcano et vanae tantum Calydonia linguae
Exibit vitium patre emendata Molosso.
Scilicet ex omni florem virtute capessunt,
Et sequitur natura favens. at te leve si qua
Tangit opus pavidosque iuvat compellere dorcas
Aut versuta sequi leporis vestigia parvi:
Petronios — sic fama — canes volucresque Sicambros,
Et pictam macula vertraham delige falsa.
Ocior affectu mentis pinnaque cucurrit:

---

v. 188. *metu* c. Scaliger.

v. 189. *prop. favor* c. Gronov. Observ. II, 13.

v. 192. *Tum non et victi, cum concess. labor.* Pithoeus notat ex libris quibusdam; *Tum nil est, victi cui concessere, laboris* Heins. in ora cod.

v. 193. *misceto* c. Heins.

v. 194. *dabat* Ulit. c. — *Umbria* G.

v. 196. *incautum* Heins. c.

v. 202. *sic fama* omnes; *scit fama* c. Gronov. Obss. II, 13. — *Panonias* Scriverius in marg. not. — *Sicambros* omnes; *Sugambros* Burm. edit.

v. 203. *pictum* B. — *Ventraham* G.; *Ventranam* B.; *Veltrahum* Lindenbrog. et Pithoeus ad leg. Salic.

Sed premit inventas, non inventura latentes
Illa feras: quae petroniis bene gloria constat.
Quod si maturo pressantes gaudia lusu
Dissimulare feras, tacitique accedere possent;
Illis omne decus, quod nunc metagontes habetis,
Constaret silvis: sed virtus irrita damno est.
At vestrum non vile genus, non patria, vulgo
Sparta suos et Creta suos promittit alumnos;
Sed primum celsa lorum cervice ferentem,
Glympice, te silvis egit Boeotius Hagnon,
Hagnon Astylides, Hagnon, quem plurima semper
Gratia per nostros unum testabitur usus.
Hic trepidas artes et vix novitate sedentes
Vidit, qua propior patuit via: nec sibi turbam
Contraxit comitem, nec vasa tenentia longe.
Unus praesidium atque operi spes magna petito,
Assumptus metagon lustrat per nota ferarum
Pascua, per fontes, per quas trivere latebras,
Primae lucis opus: tum signa vapore ferino

---

v. 211. *Ad vestram* omnes; *Ad vestrum* c. B.; *Par vestro, non vile genus, Nonacria, vulgo* Heins. c. ad Ovid. Met. VI, 416.; *At vestrum non vile genus, non patria vulgo, Sparta* — Johnson. c. et Wernsd. edit.

v. 212. *non patria vulgo*, omnes libri.

v. 214. *Gymnice* coni. B.; *Lampyre te silvis* Scalig. c.; *de silvis* B. ed.

v. 215. *Hastilides* olim; *Astylidae* Gesn. et Put.; *Astilides* G. et B.; *Hagnon Thespiades* Ulit. c.; *Astylides* Johns. reposuit.

v. 217. *silentes* G.

v. 219. *gesa* Titius c.

Intemerata legens, si qua est, qua fallitur, eius
Turba loci, maiore secat spatia extera gyro.
Atque hic egressu iam tum sine fraude reperto
Incubuit, spatiis qualis permissa Lechaeis
Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat et primae spes ambitiosa coronae.
Sed, ne qua ex nimio redeat iactura favore,
Lex dicta officiis: ne voce lacesseret hostem,
Neve levem praedam, aut propioris pignora lucri
Amplexus, primos nequicquam effunderet actus.
Iam vero impensum melior fortuna laborem
Quum sequitur, iuxtaque domus quaesita ferarum,
Ut sciat, occultos et signis arguat hostes;
Aut effectâ levi testatur gaudia cauda,
Aut ipsa infodiens uncis vestigia plantis
Mandit humum, celsasve apprensat naribus auras.
Et tamen, ut ne prima faventem pignora fallant,

---

v. 225. *maiora* A. St. Gr. P.; *maiore* G.
v. 226. *e gressu* G.
v. 227. *Incubuit, spatiis qualis perm. Lech.* Gronov. disting. Obss. II, 13. — *permista* B. c.
v. 231. *officii, neu* A. et St.; *officiis, neu* Gr. et P.; *officiis, ne* Gesn.
v. 233. *offenderet act.* omnes vett.; *offunderet* Gronov. c.; *effunderet* Johns. correx.; *primo ne offend. actu* Heins. c.
v. 235. *Consequitur* MS. Pith.
v. 237. *Adfecta gaud.* Heins. c.
v. 238. *aut spissa* Heins. c.
v. 239. *Radit humum* Heins. c. — *appressat* P. et Tit.; *adprendit* B. — *varibus* G.; *varicus* B. — *aures* Gr. P.

Circa omnem, aspretis medius qua clauditur orbis,
Ferre pedem, accessusque abitusque notasse ferarum.
Admonet et, si forte loci spes prima fefellit,
— Rarum opus — incubuit spatiis ad prospera versis,
Intacto repetens prima ad vestigia gyro.
Ergo ubi plena suo rediit victoria fine,
In partem praedae veniat comes, et sua naris
Praemia: sic operi iuvat inservisse benigno.
Hoc ingens meritum est, haec ultima palma tropaci,
Hagnon magne, tibi Divom concessa favore.
Ergo semper eris, dum carmina, dumque manebunt
Silvarum dotes atque arma Diania terris.
Hic et semiferam Thoum de sanguine prolem
Finxit non alio maior sub pectore virtus,
Seu norit voces, seu nudi ad pignora Martis.
Thoes commissos, clarissima fama, leones
Et subiere astu, et parvis domuere lacertis.
Nam gens exiguum et, pudeat quam informe fateri,
Vul-

---

v. 243. *spes illa* Johns. c.
v. 244. *incumbat*, et mox *ad prospera sese . . . referens* Burm. c.; *ad prospera siser* Gr. P. et relicui antiqui; *seiri* coni. B. ex Varr. R. R. I, 57. — *versis* Ulit. c. — *ad proxima* Ulit. c.
v. 245. *repens* vel *repedans* Tit. c.
v. 247. *sua norit* Gronov.; omnes relicui *naris*. — *Et sua par est Praemia* Heins. c. Syllog. Epist. Tom. IV. p. 284.
v. 252 *Dianea* vett. edd.
v. 255. *nôrit voces* Gesner. Gr. P.; *môrit* A. et St. — mox *fauces* G.; *proelia* Titius c. — *Sive voces naris, seu nudi ad pignora Martis* Johnson. c.; *Seu môrint vocem, aut nudi dent pignora Martis* Heins. c.
v. 258. *informe videri* citat Gesn.

Vulpina specie: tamen huic exacta voluntas.
At non est alius quem tanta ad munia foetus
Exercere velis; haud te tua culpa refellat
Inter opus, quo sera cadit prudentia damno.
Iunge pares ergo et maiorum pignore signa
Foeturam, prodantque tibi metagonta parentes,
Qui genuere sua pecus hoc immane iuventa.
Et primum expertos animi, quae gratia prima est,
In Venerem iungunt: tum sortis cura secundae,
Ne renuat species, aut quae detrectet honorem.
Sint celsi vultus, sint hirtae frontibus aures,
Os magnum et patulis agitatos morsibus ignes
Spirent, astricti succingant ilia ventres;
Cauda brevis, longumque latus, discretaque collo
Caesaries, non pexa nimis, non frigoris illa
Impatiens: validis tum surgat pectus ab armis,
Quod magnos capiat motus magnisque supersit.
Effuge, qui lata pandit vestigia planta;
Mollis in officio. siccis ego dura lacertis

---

v. 259. *species* A. St. Gr. P. et B. — *tamen huc* Gr. P. Ulit.
v. 260. *tanti ad mun.* Gronov. c.
v. 261. *aut te t. c. revellat* Gr. P.; *refellat* A. B. Ulit.; *haud t. t. c. refellet J. o.*, *quum sera redit prudentia damno* Gronov. c.
v. 265. *genuere* Gesn. et P.; *tenuere* A. St. Gr. — *pecus hoc manente* G.; *mutante* B.
v. 266. *animis* Heins. c.
v. 267. *cura secundae* vett. edd.; *cura secunda* Burm. et Heins. c.
v. 268. *aut ne detrectet hon.* Heins. c. ad Ovid. Met. IX, 506.; *aut qua* B.

Crura velim, et solidos haec in certamina calces.
Sed frustra longus properat labor, abdita si non
Altas in tenebras unique inclusa marito
Femina, nec patitur Veneris sub tempore magnos,
Illa neque emeritae servat fastigia laudis.
Primi complexus, dulcissima prima voluptas.
Hunc Veneri dedit impatiens natura furorem.
Si renuit cunctos et mater adultera non est,
Da requiem gravidae solitosque remitte labores.
Vix operi super illa suo. tum deinde monebo,
Ne matrem indocilis natorum turba fatiget,
Percensere notis iamque inde excernere parvos.
Signa dabunt ipsi. teneris vix artubus haeret
Ille tuos olim non defecturus honores:
Iamque illum impatiens aequae vehementia sortis
Extulit: affectat materna regna sub alvo;

---

v. 281. *patitur Ven. s. temp. mores* Gronov. c.; *sub tempore moechos, Illa* Johns. Wsdf.; *moechos Mille, sed emeritae* cet. Burm. c.

v. 282. *nec immerito servat* G.

v. 284. *Veneri* Gr. P. Ulit.; *Veneris* Heins. c.

v. 285. *tenuit* A. St. Gr.; *renuit* P. Ulit. — *iunctos* Heins. ad Ovid. Met. IX, 506. — *Si renuat coitus* idem in ora c.

v. 286. *solitoque . . . labore* G. et B.

v. 287. *Vix oneri par* Heins. ad Ovid. Trist. II, 69.; *vix suppar oneri illa suo* idem Syll. Epist. IV. p. 289.

v. 289. *excernere pravos* Burm. c.

v. 290. *ipse* A. St.; *ipsae* Gr. P.; *ipsi* Ulit. c. Johns.

v. 291. *suos* G. B.; *Mille suos* Heins. c.

Ubera tota tenet, a tergo liber aperto
Dum tepida indulget terris clementia mundi;
Verum ubi Caurino perstrinxit frigore vesper,
Ira iacet, turbaque potens operitur inerti.
Illius e manibus vires sit cura futuras
Perpensare: levis deducet pondere fratres:
Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.
Protinus et cultus alios et debita foetae
Blandimenta feres, curaque sequere merentem:
Illa perinde suos, ut erit dilecta, minores;
Ac longam praestabit opem. tum denique, foetae
Cum desunt operi, fregitque industria matres,
Transeat in catulos omnis tutela relictos.
Lacte novam pubem, facilique tuebere maza:
Nec luxus alios avidaeque impendia vitae
Noscant. haec magno redit indulgentia damno.

---

v. 294. *Libera tota tenet * ea * tergo* A. St. Gr. P.; *eat ergo* P.; *stat tergo* Gronov. c.; *tenet sua, tergo lib. ap.* Johns. c.; *tenens, eat agro l. a.*, vel *meat aëre lib. ap.* Heins. c.; *dat tergum liber apertum dum* cet. Burm. c.

v. 295. *verni* pro *terris* Heins. c.

v. 297. *Ire placet* vett.; *Ira iacet* Ulit. — *aperitur* G.

v. 298. *e manibus* G. P. Ulit.; *Illius et manibus* Burm. Heins.

v. 299. *praepensare* Heins. c. — *levis* antiqq.; *leves* Burm.

v. 300. *Haec de pignoribus* Burm. c.

v. 303. *ut erit delacta* A. St.; *delata* Gr. P. Ul.; *uteri de lacte* Ul. c.; *ut erit delecta, minores Ad longam p. o.* Heins. in ora cod.; *suo nutrit de lacte*, vel *suo saturat de lacte* Johns. c.

v. 304. *foetu* A. St. Gr.; *foetae* P. Ulit.

v. 305. *operis* Ul. c. — *frigetque ind. matrum* G. B.

Nec mirum: humanos non est magis altera sensus.
Tollit se ratio et vitiis adeuntibus obstat.
Haec illa est, Pharios quae fregit noxia reges,
Dum servata cavis potant Marcotica gemmis,
Nardiferumque metunt Gangem vitiisque ministrant.
Sic et Achaemenio cecidisti, Lydia, Cyro.
Atqui dives eras, fluvialibus aurea venis.
Scilicet, ad summam ne quid restaret habendum,
Tu quoque luxuriae fictas dum colligis artes,
Et sequeris demens alienam, Graecia, culpam;
O quantum et quoties decoris frustrata paterni!
At qualis nostris, quam simplex mensa Camillis!
Qui tibi cultus erat post tot, Serrane, triumphos?
Ergo illi ex habitu virtutisque indole priscae
Imposuere orbi Romam caput: actaque ab illis
Ad coelum virtus summosque tetendit honores.
Scilicet exiguis magna sub imagine rebus
Prospicies, quae sit ratio, et quo fine regenda.
Iccirço imperium catulis unusque magister

---

v. 310. *non et magis altera sensus Tollit, nec ratio* cet. Ul.; *census* Heins. c.

v. 311. *vitiis abeuntibus* Barth. c.; *Tollat se ratio, et vitiis adeuntibus obstet* idem ad Claud. de laud. Stil. III, 160. — *subeuntibus* Burm. — *abstat* Johns.

v. 315. *Achaemonio* Ulit.

v. 316. *Atqui* Gr. B. Ul.; *Atque* P.; *At quam* G.

v. 318. *victas dum* G. B.

v. 322. *Qui tibi victus* Heins. c.

v. 324. *ortaque ab illis* G.; *altaque* vel *auctaque* Heins. c.

v. 325. *summo se extendit honore* Scaliger in or. cod.

Additur: ille dapes poenamque operamque ministrans
Temperet: hunc spectet silvas domitura iuventus.
Nec vile arbitrium est: cuicunque haec regna dicantur,
Ille tibi egregia iuvenis de pube legendus,
Utrumque, et prudens, et sumptis impiger armis;
Quod nisi et accessus et agendi tempora belli
Noverit, et socios tutabitur hoste minores:
Aut cedent, aut illa tamen victoria damno est.
Ergo in opus vigila factusque ades omnibus armis:
Arma acuere viam. tegat imas fascia suras;
Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo
Mantica, curta chlamys, canaque e mele galeri:
Ima Toletano praecingant ilia cultro:
Terribilemque manu vibrata falarica dextra
Det sonitum, et curva rumpant non pervia falce.
  Haec tua militia est: quin et Mavortia bello
Vulnera et errantes per tot divortia morbos,
Caussasque affectusque canum tua cura tueri est.
Stat fatum supra, totumque avidissimus Orcus

---

v. 333. *Rerumque et prudens* Heins. in marg. — *integer arm.* B. edit.

v. 336. *sedent* citat B., sed legit *cedent.* — *aut ipsa* G. B.

v. 337. *factusque* vulgati; *fartusque* G.; *factisque* B.; *facilisque* ed. Ulit.

v. 338. *acuere virum* Johns. ç.; *Arma acuent vires*, vel *Arma acuere iram* Burm.

v. 339. *is inulina suis, et tergore fulvo* A. Gr. P. B. — vv. 339. 340. desunt in G. — *Sit famulis* vel *sociis* Ul. c.

v. 340. *cavaque e macle gal.* A. St. Gr. P. B.

v. 343. *nova pervia* A. St. Gr. P. — *rumpat* B.

Pascitur et nigris orbem circumsonat alis.
Scilicet ad magnum maior ducenda laborem
Cura, nec expertos fallet deus. hinc quoque nosse
Est aliud, quod praestet, opus, placabile numen.
Nec longe auxilium, licet alti vulneris orae
Abstiterint atroque cadant cum sanguine fibrae:
Inde rape ex ipso, qui vulnus fecerit, hoste
Virosam eluviem lacerique per ulceris ora
Sparge manu, venas dum sucus comprimat acer.
Mortis enim patuere viae. tum pura monebo
Circum labra sequi tenuique includere filo.
At, si pernicies angusto pascitur ore,
Contra pande viam fallentesque argue caussas:
Morborum in vitio facilis medicina recenti.
Sed tactu impositis mulcent pecuaria palmis,
Id satis, aut nigrae circum picis unguine signant.
Quod si destricto levis est in vulnere noxa,
Ipse habet auxilium validae natale salivae.
Illa gravis labes, et cura est altior illis,

---

v. 352. *ora* vett. edd. cum Ulit.; *orae* G. B. Burm.
v. 355. *utroque* A. St. Gr.; *uteroque* Pithoeus c. P. Barth.; *udoque* Tit. c.; *atroque* Ulit. legit; *ultroque* notat. in marg. Gryph.
v. 357. *tum suta* Heins. c.
v. 359. *augusto* A. St.; *angusto* Gr.
v. 362. *Seu tactu* Heins.; *aut tactu* ed. Johns.; *tractu* Burm. c.
v. 364. *districto* vett.; *destricto* Heins. Johns.
v. 365. *validum* A. St.; *validae* Gr. P. Gesn. — *genitale sal.* Heins. c.
v. 366. *curas altior* A. St. Gr.; *cura est altior* Pith.

Cum vitium caussae totis egere latentes
Corporibus seraque aperitur noxia summa.
Inde emissa lues, et per contagia morbus
Venere in vulgum iuxtaque exercitus ingens
Aequali sub labe ruit: nec viribus ullis,
Aut merito venia est, aut spes exire precanti.
Quod sive a Stygia letum Proserpina nocte
Extulit, et Furiis commissam ulciscitur iram;
Seu vitium ex alto spiratque vaporibus aether
Pestiferis, seu terra suos populatur honores:
Fontem averte mali; trans altas ducere valles
Admoneo, latumque fuga superabitis amnem.
Hoc primum effugium leti: tum dicta valebunt
Auxilia, et nostra quidam redit usus ab arte.
Sed varii motus, nec in omnibus una potestas:
Disce vices, et quae tutela est proxima, tenta.
Plurima per catulos rabies, invictaque tardis,

---

v. 367. *totis* omnes; *toties* B.
v. 368. *seroque ap. nox. damno* Heins. c.; *seraque . . . palma*, aut *sera* . . . *cura* Burm. c.
v. 369. *morbi* Ul.
v. 370. *vulgus* Johns. — *iussaque*. A. St. Gr.
v. 371. *ulli* B. c.
v. 374. *furtis* A. St. Gr.; *furtim* P. Ul.; *Furiis* Johns. c.
v. 375. *vitium exhalat* c. Heins. ad Ovid. Met. IV, 393.
v. 378. *superantibus amnem. Hoc primum eff. l.* Heins. c.
v. 379. *ficta* A. St. Gr. P.; *victa* B.; *dicta* Ul. c. Heins.
v. 380. *redituŗus ab* A. St. Gr.; *quondam redit* Johns. c.
v. 382. *et qua*, vel *et quae tutelae proxima* Heins. c.

Praecipitat letale malum: sic tutius ergo
Anteire auxiliis et primas vincere caussas.
Namque subit, nodis qua lingua tenacibus haeret,
Vermiculum dixere, mala atque incondita pestis.
Ille, ubi salsa siti praecepit viscera longa
Aestivos vibrans accensis febribus ignes,
Moliturque fugas et sedem spernit amatam;
Scilicet hoc motu stimulisque potentibus acti
In Furias vertere canes. ergo insita ferro
Iam teneris elementa mali caussasque recidunt.
Nec longa in facto medicina est ulcere: purum
Sparge salem, et tenui permulce vulnus olivo.
Ante relata suas quam nox bene compleat umbras,
Ecce aderit, factique oblitus vulneris, ultro
Blanditur mensis Cereremque efflagitat ore.
Quid priscas artes inventaque simplicis anni
Si referam? non illa metus solatia falsi
Tam longam traxere fidem. collaribus ergo
Sunt qui lucifugae cristas inducere melis

---

v. 384. *Praecipiat* A. St. Gr. — *ac tutius* A. St.; *Praecipita letale malum maturius ergo* Johns c.; *sit tutius* Burm. — *aegros* Heins.
v. 386. *Iamque* Heins. c.
v. 388. *praecepit* omnes ante Johns.; *percepit* Gronov. c.
v. 389. *Aestivosque* B. — *vibrant* omnes; *vibrans* Johns. c. — *accensi* A. St. Gr. P. B.; *accensis* Johns. Burm.; *Vibrant aestivis accensi febribus* Heins. c.
v. 390. *amaram* omnes antiqui; *amatam* Ul. restituit.
v. 399. *simplicis aevi* c. Barth.
v. 402. *cristas includere* Ul. c.; *costas* Burm. c.; *crustas* Scalig. c. — *maelis* vett. edd.; *millis* pro *maelis* Barth. c.

Iussere, aut sacris conserta monilia conchis;
Et vivum lapidem, et circa Melitesia nectunt
Curalia, et magicis adiutas cantibus herbas.
Ac sic offectus oculique venena maligni
Vicit tutela pax impetrata deorum.
At si deformis lacerum dulcedine corpus
Persequitur scabies, longi via pessima leti;
In primo accessu tristis medicina, sed una
Pernicies redimenda anima, quae prima sequaci
Sparsa malo est, ne dira trahant contagia vulgum.
Quod si dat spatium clemens et promovet ortu
Morbus, disce vias et, qua sinit, artibus exi.
Tunc et odorato medicata bitumina vino
Imponasque pices immundaeque unguen amurcae.
Miscuit, et summam complectitur ignis in unam.
Inde lavant aegros. est ira coërcita morbi,

---

v. 404. *circum* Burm. c. — *Melitensia* Ulit.
v. 405. *Coralia* vett. edd.; *Curalia* Johns. Salmas. ad Solin. p. 63. b. A. — *adiutant* A. St. Gr.; *adiurant* P. Barth.; *adiutas* Ulit. rest.
v. 406. *oculisque* A. St. Gr.
v. 408. *deformi* omnes; *deformis scabies* c. Wass. ad Sall. Catil. c. 4. cum Burm. — *salsedine* Johns. c.; *porrigine* c. Graev. Epp. ad Heins. IV, p. 295.
v. 412. *vulgi* omnes libri; *vulgo* G. B.; *vulgus* Heins. c.
v. 413. *nec promovet* Heins. c.; *et praemonet* Tit. et Graev.; *promovet ortus* Burm. c.
v. 415. *viro* omnes ante Johns.; *vino* Johns. c.
v. 416. *pisces* P.
v. 417. *Miscet id* Barth. c.; *Miscet et haec summam* Burm. c.
v. 418. *linunt aegros* Gesn. c. — *atque ira . . . . morbi est* G. B.; *stet ut ira* Heins. c.

Laxatusque rigor, quae te, natura, timentem
Differat, et pluvias et Cauri frigora vitent;
Sic magis, ut nudis incumbunt vallibus aestus,
A vento; clarique faces ad solis, ut omne
Exsudent vitium, subeatque latentibus ultro,
Quae facta est medicina, vadis; nec non tamen illum
Spumosi catulos mergentem littoris aestu
Respicit et facilis Paean adiuvit in artes.
O rerum prudens quantam experientia vulgo
Materiem largita boni, si vincere curent
Desidiam, et gratos agitando prendere fines!
Est in Trinacria specus ingens rupe, cavique
Introrsum reditus: circum atrae moenia silvae
Alta premunt, ruptique ambustis faucibus amnes.
Vulcano condicta domus, quam subter eunti
Stagna sedent, venis oleoque madentia vivo.
Huc defecta mala vidi pecuaria tabe
Saepe trahi victosque malo graviore magistros.
Te primum, Vulcane, loci pacemque precamur,

---

v. 419. *quae te ne cura* Gronov. c. Ulit.; *quae te natura timente* Scaliger; *ne te ventura timentem Diff.* Burm.; *rigor, qui te, natura, timentem Differat* B.

v. 421. *Sic, magis ut nudis incumbant vallibus, aestus Adventu* Barth. ex vet. ed.; *Sic magis, ut nudis incumbant vallibus, aestu Ad ventos, clarique faces ad solis, et omne Exsudent vitium* Heins. et Burm.

v. 422. *clarisque* P.

v. 427. *quantum* omnes; *quantam* Barth. c.

v. 434. *sedent venis, oleoque* A. Gr. P.

Incola sancte, Tuam, des ipsis ultima rebus
Auxilia: et, meriti si nulla est noxia tanti,
Tot miserare animas, liceatque attingere fontes,
Sancte, Tuos. ter quisque vocant, ter pinguia libant
Tura foco: struitur ramis felicibus ara.
Hic dictu mirum, atque alias ignobile monstrum
Adversis specubus ruptoque e pectore montis
Venit, ovans austris et multo flumine flammae
Emicat: ipse manu ramum pallente sacerdos
Termiteum quatiens: procul hinc extorribus ire
Edico, praesente Deo, praesentibus aris,
Quis scelus aut manibus sumptum, aut in pectore motum est,
Inclamat. cecidere animi et trepidantia membra.
O quisquis misero fas unquam in supplice fregit,
Qui pretio fratrum, meliorisque ausus amici
Sollicitare caput, patriosve lacessere divos;
Illum agat infandae comes huc audacia culpae.

---

v. 438. *des ipse his* Barth. c.; *lapsis* Heins.; *fessis* Graev. c.
v. 439. *et, meriti* omnes; *aut m.* Ulit.
v. 441. *vocant, ter* G. B. Ulit.; *vocantes* alii omnes.
v. 443. *ductu* A. St.; *dictu* Gr. alii.
v. 445. *ovans auris* Heins.; *antris* Burm.; *lumine flamm.* Gronov.
v. 446. *Emicat inde* Burm. c.
v. 449. *aut manibus, sonti aut in pect.* Heins.
v. 450. *animi trepid.* A. St. Gr. P.; *animis* G. Ulit.; *animi et trep.* Johns. Burm.; *minis* Heins. c.
v. 452. *meliorisve* B.
v. 454. *comes hinc* Tit. c.; *huic* Heins. ad Ovid. Met. VIII, 59.

Discet, commissa quantum deus ultor in ira
Pone sequens valeat: sed cui bona pectore mens est,
Obsequiturque deo, deus illam molliter aram
Lambit, et ipse, suos ubi contigit ignis honores,
Defugit ab sacris, rursumque reconditur antro:
Huic fas auxilium et Vulcania tangere dona.
Nec mora; si medias exedit noxia fibras,
His lave praesidiis, affectaque corpora mulce,
Regnantem excutiens morbum. Deus auctor, et ipsa
Artem aluit natura suam. quae robore pestis
Acrior, aut leto propior via? sed tamen illi
Hinc venit auxilium valida vehementius ira.
Quod primam si fallet opem dimissa facultas,
At tu praecipitem, qua spes est proxima, labem,
Aggredere; in subito subita est medicina tumultu.
Stringendae nares, scindenda ligamina ferro
Armorum, geminaque cruor ducendus ab aure.
Hinc vitium, hinc illa est avidae vehementia pesti.
Ilicet auxiliis fessum solabere corpus;
Subsiduasque fraces, diffusaque Massica prisco

---

v. 456. *stet. cui bona* G. B., qui post hunc versum intercalat vers. 460.

v. 461. *Haec mora* vet. edit.; *Nec mora* Gesn. Ul.; *His, mora si* B.

v. 462. *His fove* G.; *fave* B.

v. 463. *excuties* Barth. Johns.

v. 467. *divina* pro *dimissa* Burm. c.

v. 474. *faeces* G. B.; *faces* B. cit. et P. — *defusa* Johns. Burm.

Sparge cado. Liber tenues e pectore curas
Exiget: est morbo Liber medicina furenti.
Quid dicam tussis, quid moesti damna veterni,
Aut incurvatae si qua est tutela podagrae?
Mille tenent pestes curaque potentia maior.
Mitte, age; non opibus tanta est fiducia nostris,
Mitte, anime, ex alto ducendum numen Olympo,
Supplicibusque vocanda sacris tutela deorum.
Iccirco aeriis molimur compita lucis,
Spicatasque faces sacrum ad nemora alta Dianae
Sistimus et solito catuli velantur honore;
Ipsaque per flores medio in discrimine luci
Stravere arma sacris et pace vacantia festa.
Tum cadus et viridi fumantia liba feretro
Praeveniunt, teneraque extrudens cornua fronte
Hoedus et ad ramos etiamnum haerentia poma,
Lustralis de more sacri, quo tota iuventus
Lustraturque deae proque anno reddit honorem.

v. 475. *tristes curas* Ulit. c.

v. 478. *incuratae* A. Tit. Heins.

v. 479. *nocentia mai.* G.

v. 480. *anime* G. B. c.; *Mite, age*, et *Mite animae numen* Heins. c.; *mitte anime* Scalig. c.

v. 484. *ferre ad nem. alta* Salmas.; *ad nemorale* Turneb.; *Spic. faces (sacrum) ad nem. alta* Barth.; *Spicatasque faces: sacrum etc.* Burm.

v. 486. *lucis* Heins. ex edd. ant.

v. 491. *vota* Heins. c. — *lustretur* Heins.

v. 492. *reddet* Gr. P.; *reddant* Heins.

Ergo impetrato respondet multa favore
Ad partes, qua poscis opem, seu vincere silvas,
Seu tibi fatorum labes exire minasque
Cura prior; tua magna fides tutelaque virgo.
Restat equos finire notis, quos arma Dianae
Admittant. non omne meas genus audet in artes.
Est vitium ex animo, sunt quos imbellia fallant
Corpora: praeveniens quondam est incommoda virtus.
Consule, Penei qualis perfunditur amne
Thessalus, aut patriae quem conspexere Mycenae
Glaucum. nempe ingens, nempe ardua fundet in auras
Crura. quis Eleas potior lustravit arenas?
Ne tamen hoc attingat opus; iactantior illi
Virtus, quam silvas durumque lacessere Martem.
Nec saevos miratur equos terrena Syene:
Scilicet et Parthis inter sua mollia rura
Mansit honor: veniat Caudini saxa Taburni,
Garganumve trucem, aut Ligurinas desuper Alpes,
Ante opus excussis cadet unguibus: et tamen illi

---

v. 493. *respondent* Ulit. rescr. — *culta* Heins. c.
v. 494. *poscit* A. St.
v. 500. *quoniam est* Ul. c.; *quorum est* repetito *sunt* Burm. c.
v. 501. *Non lege* Burm. c. — *Peneo* Heins c.
v. 502. *conspersere* Heins. c.
v. 503. *tollet in aur.* cit. Turneb.
v. 504. *lustrabit* cit. Turneb.
v. 507. *submittat* Heins. c.; *tibi mittat* Burm. c. — *turrita Syene* Ul. c.; *Sidena* Burm. c.
v. 508. *propter sua mollia crura* Bochartus c.
v. 509. *veniant* Johns.

Est animus, fingetque meas se iussus in artes.
Sed iuxta vitium posuit deus. at tibi contra
Callaecis lustratur equis scruposa Pyrene;
Non tamen Hispano Martem tentare minacem
Ausim. Murcibii vix ora tenacia ferro
Concedunt. at tota levi Nasamon*ia virga*
Fingit equos.. Pisis Numidae solvere *iugales;*
Audax et patiens operum genus. ille vigebit
Centum actus spatiis, atque eluctabitur iram.
Nec magni cultus; sterilis quodcunque remisit
Terra, fuit tenuesque sitim producere rivi.
Sic et Strymonio facilis tutela Bisaltae;
*Possent Ae*tneas utinam se ferre per arces;
Qui ludus Siculis. quid tum, si turpia colla,
Aut tenuis dorso curvatur spina? per illos
Cantatus Graiis Agragas, victaeque fragosum

---

v. 514. *lustretur* Burm. c.

v. 516. *Murcinii* vel *Myrcinii* Ulit. c.; *Marrubii* Burm. c.

v. 517. *aut tota* Gr. P. B.; *at tota levi Nasamones habenae* Heins. c.

v. 518. *solvere iugales* ed. Burm., sed ineptum putat idem ille. Ergo c.: *Fingit equos Pisae Numidae sollertia nudos.*

v. 520. *ira* Johns. c.

v. 522. *Terra sui, tenuesque sitis producere rivi* A. Gr. P. B.; *Terra, fuit,* et *sitim* Ulit.; *Terra, cibus: tenuesque sitim pote ducere rivi,* vel *Terra, satis.* Barth. c.

v. 524. *per artes* A. Gr. P. Ul.; *Possent atque meas utinam se ferre per artes* Ul. c.; *Eleas artes* vel *Aetneas arces* Heins.; *Aetneas per arces* cit. Cluver. Sicil. II, cap. 11.

v. 527. *actaeque ferae* Heins. c. ad Sil. Ital. XIV, 236.

Nebroden liquere ferae. O quantus in armis
Ille meis, cuius dociles pecuaria foetus
Sufficient! Quis Chaonias contendere contra
Ausit, vix merita quas signat Achaïa palma!
Spadices vix Pellaei valuere Cerauni,
Et tibi devotae magnum pecuaria Cyrrhae,
Phoebe, decus, nostras agere in sacraria tensas.
Venanti melius pugnat color. optima nigri
Crura illi badiosque legunt *in pectore crines*,
Et quorum fessas imitantur terga favillas.
O quantum Italiae, sic dii voluere, parentes
Praestant, et terras omni praecepimus usu;
Nostraque non segnis illustrat prata *iuventus.*

(*Nonnulla erosa penitus legi non potuerunt in MS.*)

---

v. 528. *Hebroden* St. Gr.
v. 531. *quae sign.* Turneb.
v. 532. *potuere Cer.* Turneb.
v. 535. *mellis p. color* Graev. — *Venanti niveus p. c.* Burm.

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI

CARMEN VENATICUM.

Venandi cano mille vias hilaresque labores,
Discursusque citos, securi proelia ruris,
Pandimus. Aonio iam nunc mihi pectus ab oestro
Aestuat: ingentes Helicon iubet ire per agros:
Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno
Ingerit, et late campos metatur apertos:
Imponitque iugum vati retinetque corymbis
Implicitum ducitque per avia, qua sola nunquam
Trita rotis. iuvat aurato procedere curru,
Et parere deo: virides en ire per herbas
Imperat: intacto premimus vestigia musco.
Et quamvis cursus se ostendat tramite noto;

---

v. 1. *cane* Gronov. et Johns. c.
v. 3. *Pandimur* G. B.
v. 4. *ingentes*, *Helicon*, *iuvat ire* Ulit. c.
v. 5. *Castaliique* Pith. c. — *fontis alumnus* Ulit. c.
v. 6. *metitur* Ulit. c.
v. 8. *ducit per* A. St.
v. 12. legebatur in vett. edd. post v. 23. — *se ostendat* A. St. Gr.; *se* omittit Ulit.; *offendat* B.

Obvia Calliope, facies insistere prato
Complacito, rudibus qua luceat orbita sulcis.
Nam quis non Nioben numeroso funere moestam
Iam cecinit? quis non Semelen ignemque iugalem
Letalemque simul novit de pellicis astu?
Quis magno recreata tacet cunabula Baccho?
Ut pater omnipotens maternos reddere menses
Dignatus, iusti complerit tempora partus?
Sunt qui sacrilego rorantes sanguine thyrsos —
Nota nimis — dixisse velint, qui vincula Dirces,
Pisaeique tori legem, Danaique cruentum
Imperium, sponsasque truces sub foedere primo
Dulcia funereis mutantes gaudia taedis.
Biblidos indictum nulli scelus: impia Myrrhae
Connubia et saevo violatum crimine patrem
Novimus, utque, Arabum fugiens cum carperet arva,
Ivit in arboreas frondes animamque virentem.
Sunt qui squamosi referant fera sibila Cadmi,
Stellatumque oculis custodem virginis Ius,
Herculeosque velint semper numerare labores,

---

v. 13. *facile est insistere* Ulit.
v. 14. *quo* Ulit. c.
v. 17. *pellicis aestu* Burm. c.
v. 19. *maternis addere* G. B.; *maternos add.* vel *maturos add.* Heins. c.
v. 22. *duxisse* G. B.
v. 26. *indictum* omnes libri; *inductum* B.
v. 27. *foedo* vel *scaevo viol.* Ulit. c.

Miratumque rudes se tollere Terea pinnas
Post epulas, Philomela, tuas. sunt ardua mundi
Qui male tentantem curru Phaëthonta loquantur,
Extinctasque canant emisso fulmine flammas
Fumantemque Padum, Cygnum plumamque senilem,
Et flentes semper germani funere silvas.
Tantalidum casus et sparsas sanguine mensas
Condentemque caput visis Titana Mycenis
Horrendasque vices generis dixere priores.
Colchidos iratae sacris imbuta venenis
Munera non canimus, pulchraeque incendia Glauces,
Non crinem Nisi, non saevae pocula Circes,
Nec nocturna pie furantem busta sororem.
Haec iam magnorum praecepit copia vatum,
Omnis et antiqui vulgata est fabula secli.
Nos saltus viridesque plagas camposque patentes
Scrutamur, totisque citi discurrimus arvis,
Et varias cupimus facili cane sumere praedas:
Nos timidos lepores, impelles figere damas

---

v. 33. *rudi se tollere Terea pinna* Heins. c. — *Mirenturque, rudes sustollere* Burm.

v. 36. *e misso* A. St. Gr.

v. 37. *cycnum* A.; *cycnumque plumamque* Gr. P. — *Padum et Cygnum* Heins. c.

v. 38. *in funere* vel *funera* Heins. c.

v. 41. *prioris* omnes; *priores* Heins. c. Burm.

v. 43. *incendia Gl.* Pith. corr.; antea *ingentia.*

v. 44. *crimen Nisi* A. St. Gr. P. B.; *crinem* Ulit.

v. 49. *notisque* Heins. c.

Audacesque lupos, vulpem captare dolosam
Gaudemus. nos flumineas errare per umbras
Malumus, et placidis Ichneumona quaerere ripis
Inter arundineas segetes, felemque minacem
Arboris in trunco longis praefigere telis,
Implicitumque sinu spinosi corporis Erem
Ferre domum; talique placet dare lintea curae;
Dum non magna ratis vicinis sueta moveri
Littoribus, tutosque sinus percurrere remis
Nunc primum dat vela notis, portusque fideles
Linquit, et Hadriacas audet tentare procellas.
Mox vestros meliore lyra memorare triumphos
Accingar, divi fortissima pignora Cari,
Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis
Littus et edomitas fraterno numine gentes,
Quae Rhenum Tigrimque bibunt Ararisque remotum
Principium, Nilique bibunt ab origine fontem.
Nec taceam primum quae nuper bella sub Arcto
Felici, Carine, manu confeceris, ipso
Paene prior genitore deo: utque intima frater

---

v. 54. *placitis* B.
v. 55. *melemque* Heins. c.
v. 56. *perfigere* Johns. c.
v. 58. *parilique . . . curae*, vel *talique . . . cymbae* Heins. c.
v. 59 *Cum* Johns. c.
v. 62. *tranare proc.* G.
v. 63. *maiore lyra* B.; *meliore* Gyraldus l. in cod. Sanazari.
v. 65. *gemini* Heins. c.
v. 68. *Nilique colunt* vel *vident* Johns. c.

Persidos et veteres Babylonos ceperit arces,
Ultus Romulei violata cacumina regni.
Imbellemque fugam referam, clausasque pharetras
Parthorum, laxosque arcus, et spicula nulla.
Haec vobis nostrae libabunt carmina Musae,
Cum primum vultus sacros, bona numina terrae,
Contigerit vidisse mihi. iam gaudia nota
Temporis impatiens sensus spretorque morarum
Praesumit; videorque mihi iam cernere fratrum
Augustos habitus, Romam, clarumque senatum,
Et fidos ad bella duces et milite multo
Agmina, quis fortes animat devotio mentes:
Aurea purpureo longe radiantia velo
Signa micant sinuatque truces levis aura dracones.
Tu modo, quae saltus placidos silvasque pererras
Latonae, Phoebe, magnum decus, eia age suetos
Sume habitus arcumque manu pictamque pharetram
Suspende ex humeris: sint aurea tela, sagittae:
Candida puniceis aptentur crura cothurnis:
Sit chlamys aurato multum subtemine lusa,

---

v. 75. *spic. muta* G. B.
v. 76. *nobis* vett. edd.; *vobis* Pith. c.
v. 78. *vota* G.; *voto* B.
v. 81. *Romamque clar.* G. — *patrumque* Barth.
v. 86. *placitos* Heins. c.
v. 87. *Phoebe Latonae* G.
v. 91. *subtegmine* St. Gr. P.; *sub tegm.* Jul. Scaliger; *subtemine* B. — *fusa* Spanh. ad Callim. hymn. in Dian. v. 11.

Corrugesque sinus gemmatis baltheus artet
Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.
Tecum Naiades faciles, viridique iuventa
Pubentes Dryades, Nymphaeque, unde amnibus humor,
Assint, et docilis decantet Oreadas Echo.
Duc age, Diva, tuum frondosa per avia vatem;
Te sequimur: tu pande domos et lustra ferarum.
Huc igitur mecum, quisquis percussus amore
Venandi, damnas lites avidosque tumultus,
Civilesque fugis strepitus bellique fragores,
Nec praedas avidus sectaris gurgite ponti.
Principio tibi cura canum non segnis ab anno
Incipiat primo, cum Ianus temporis auctor
Pandit inocciduum bissenis mensibus aevum.
Elige tunc cursu facilem facilemque recursu,
Seu Lacedaemonio natam, seu rure Molosso,
Non humili de gente canem. sit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat sub pectore lato
Costarum sub fine decenter prona carinam,
Quae sensim rursus sicca se colligat alvo,
Renibus ampla satis validis diductaque coxas,

---

v. 99. *Hinc* St. Gr. P.; *Huc* Ulit.
v. 100. *rabidosque* vel *pavidosque* Ulit. c.
v. 102. *avido s. gurgite pontum* G.; *praedans avido* B.; *avidus* Ulit. ed.
v. 104. *cum sanus temp.* A. St. Gr.; *Ianus* Pith.
v. 105. *in occid.* ante Pith.

Cuique nimis molles fluitent in cursibus aures.
Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum;
Dum superant vires, dum laeto flore iuventus
Corporis et venis primaevi sanguis abundat.
Namque graves morbi subeunt segnisque senectus:
Invalidamque dabunt non firmo robore prolem.
Sed diversa magis foeturae convenit aetas.
Tu, bis vicenis plenum iam mensibus, acrem
In Venerem permitte marem: sit femina, binos
Quae tulerit soles. haec optima cura iugandis.
Sed non Spartanos tantum, tantumve Molossos
Pascendum catulos: divisa Britannia mittit
Veloces nostrique orbis venatibus aptos.
Nec tibi Pannonicae stirpis temnatur origo,
Nec quorum proles de sanguine manat Ibero.
Quin etiam siccae Libyes in finibus acres
Gignuntur catuli, quorum non spreveris usum.
Mox quum se bina formavit lampade Phoebe,
Ex quo passa marem genitalia viscera turgent,
Fecundos aperit partus matura gravedo
Continuo, largaque vides strepere omnia prole:

---

v. 113. *nimis moll.* omnes; *minus* B.
v. 114. *sunt omnia magna* Scaliger.
v. 115. *iuventas* Heins. c. ad Ovid. Met. IV., 17.
v. 116. *abundans* A. G. B.; *inundat* Heins. c.; *et vernus primaevi s. abundat* Scal.
v. 130. *bina renovavit lamp.* Heins. c.
v. 132. *Foecundo se ap. partu* G. B.

Sed, quamvis avidus, primos contemnere partus
Malueris, mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi si placitum populosos pascere foetus
Iam macie tenues succique videbis inanes
Pugnantesque diu, quisnam prior ubera lambat,
Distrahere invalidam lassato viscere matrem.
Sin vero haec cura est, melior ne forte necetur,
Abdaturve domo, catulosque probare voluntas,
Quis nondum gressus stabiles, neque lumina passa
Luciferum videre iubar; quae prodidit usus
Percipe et intrepidus spectatis annue dictis.
Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibusque leves gravibus praenoscere cursu.
Quin et flammato ducatur linea longe
Circuitu signetque habilem vapor igneus orbem,
Impune in medio possis consistere circo.
Huc omnes catuli, huc indiscreta feratur
Turba, dabit mater partus examine honestos,
Iudicio natos servans trepidoque periclo.
Nam postquam conclusa videt sua germina flammis,

---

v. 134. *Ut* (*at*?) pro *Sed* Ulit. ed.
v. 142. *lumina pansa* Heins.
v. 146. *cursu* A. Gr.; *cursus* P. Ulit.
v. 148. *signet habilem* A. St. Gr. P. B.; *signetque* Scaliger c.; *flabilem* G.
v. 149. *ut medio* Johns. c.
v. 151. *examen honesti* G. B.
v. 152. abest in G. — *Exitio natos servans* Scaliger c.; *Indicio* B.

Continuo saltu transcendens fervida zonae
Vincla, rapit rictu primum portatque cubili;
Mox alium, mox deinde alium. sic conscia mater
Segregat egregiam sobolem virtutis amore.
Hos igitur genetrice simul, iam vere sereno,
Molli pasce sero. passim nam lactis abundans
Tempus adest, albent plenis et ovilia mulctris.
Interdumque cibo Cererem cum lacte ministra,
Fortibus ut sucis teneras complere medullas
Possint et validas iam tunc promittere vires.
Sed postquam Phoebus candentem fervidus axem
Contigerit tardasque vias Cancrique morantis
Sidus init, tunc consuetam minuisse saginam
Profuerit, tenuesque magis retinere cibatus:
Ne gravis articulos depravet pondere moles.
Nam quum membrorum nexus nodosque relaxant
Infirmosque pedes et crura natantia ponunt:
Tunc etiam niveis armantur dentibus ora.
Sed neque conclusos teneas, neque vincula collo
Impatiens circumdederis noceasque futuris
Cursibus imprudens. catulis nam saepe remotis
Aut vexare trabes, laceras aut pandere valvas
Mens erit, et teneros torquent conatibus artus;

---

v. 168. *Nec gravis a. d. p. molles* A. St. Gr. — post hunc versum lacuna est in G.
v. 170. *nutantia* P.; *crura et nutantia* B.
v. 175. *mandere v.* Heins. c. ad Ovid. Met. III., 84.
v. 176. *a ten.* G.; *ah!* B.; *at ten.* Burm. c.

Obtunduntve novos adroso robore dentes,
Aut teneros duris impingunt postibus ungues.
Mox quum iam validis insistere cruribus aetas
Passa, quater binos volvens ab origine menses,
Illaesis catulos spectaveris undique membris;
Tunc rursus miscere sero Cerealia dona
Conveniet fortemque dari de frugibus escam.
Libera tunc primum consuescant colla ligari,
Concordes et ferre gradus, clausique teneri.
Iam quum bis denos Phoebe reparaverit ortus,
Incipe non longo catulos producere cursu;
Sed parvae vallis spatio septove novali.
His leporem praemitte manu, non viribus aequis,
Nec cursus virtute parem; sed tarda trahentem
Membra; queant iam nunc faciles ut sumere praedas.
Nec semel indulge catulis moderamine cursus;
Sed donec validos etiam praevertere suescant,
Exerceto diu, venandi munera cogens
Discere et emeritae laudem virtutis amare.
Nec non consuetae norint hortamina vocis,
Seu cursus revocent, iubeant seu tendere cursus.

---

v. 177. *Obtunduntque* G. B.
v. 178. *infringunt* Heins. ad Ovid. l. c.
v. 191. *iam tunc* G. — *praedam* A. Gr. P.; *praedas* Ulit.
v. 192. *moderamina* Heins. et Johns. c.
v. 194. *ven. munere* A. Gr. P. Ulit.; *munera* Ulit. Burm.; *munia* G. B.
v. 197. *Seu cursu revoces, iubeas s. t. c.* Heins. — *norint hortamina voces, Seu rursus revocent, i. s. t. cursus* Burm.

Quin etiam docti victam contingere praedam,
Exanimare velint tantum, non carpere sumptam.
Sic tibi veloces catulos reparare memento
Semper et in parvos iterum protendere curas.
Nam tristes morbi, scabies et sordida venis
Saepe venit, multamque canes discrimine nullo
Dant stragem: tu sollicitos impende labores,
Et sortire gregem suffecta prole quotannis.
Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliva
Admiscere decet; catulosque canesque maritas
Unguere profuerit tepidoque ostendere soli
Auribus et tineas candenti pellere cultro.
Est etiam canibus rabies, letale periclum,
Quod seu coelesti corrupto sidere manat,
Quum segnes radios tristi iaculatur ab aethra
Phoebus et attonito pallens caput exerit orbe:
Seu magis ignicomi candentia terga Leonis
Quum quatit, hoc canibus blandis inviscerat aestus:
Exhalat seu terra sinu, seu noxius aër
Caussa mali; seu quum gelidus non sufficit humor,

---

v. 200. *Hinc tibi* Burm. c.

v. 202. *tristis morbi scabies, et sord.* A. Gr. P.; *tristes morbi, scabies et* G. Ulit.

v. 203. *multamque cani d. n. Dat stragem* Burm. c.

v. 209. *candenti vellere* vel *evellere* Burm. c.

v. 211. *Quod, seu coelesti corruptio s. m.* Burm. c.

v. 213. *orbi* Barth. c.

v. 215. *inviscerat* A. St. Gr. G. Ulit.; *inviserat* P.; *immiserit* Pith. c.; *immiserat* B.

v. 216. *terra sinus* vett. edd.; *seu terra, situ seu nox.* B. c.; *terra sinu* Heins. c. ad Ovid. Met. IV., 393.

Torrida per venas concrescunt semina flammae.
Quicquid id est, imas agitat sub corde medullas,
Inque feros rictus, nigro spumante veneno,
Prosilit, insanos cogens infigere morsus.
Disce igitur potus medicos curamque salubrem.
Tunc virosa tibi sumes, multumque domabis
Castorea, attritu silicis lentescere cogens.
Ex ebore huc trito pulvis sectove feratur,
Admiscensque diu facies concrescere utrumque:
Mox lactis liquidos sensim superadde fluores,
Ut non cunctantes haustus infundere cornu
Inserto possis furiasque repellere tristes,
Atque iterum blandas canibus componere mentes.
Quin et Tuscorum non est extrema voluptas
Saepe canum: sit forma illis licet obsita villo,
Dissimilesque habeant catulis velocibus artus;
Haud tamen iniucunda dabunt tibi munera praedae.
Namque et odorato noscunt vestigia prato,
Atque etiam leporum secreta cubilia monstrant.
Horum animos moresque simul naresque sagaces
Mox referam: nunc omnis adhuc narranda supellex
Venandi, cultusque mihi dicendus equorum.
Cornipedes igitur lectos det Graecia nobis,
Cappadocumque notas referat generosa propago:

---

v. 218. *crudescunt* vel *inolescunt* Heins. c.
v. 232. *est forma* A. St. Gr. P.; *sit* Ulit.; *sed forma illis* Scalig.
v. 234. *praeda* A. St. Gr. P.; *praedae* B. Ulit.; *praedam* Heins. c.

Armata et palmas nuper grex omnis avorum.
Illis ampla satis levi sunt aequora dorso,
Immodicumque latus parvaeque ingentibus alvi,
Ardua frons auresque agiles, capitique decoro
Altus honos oculique vago splendore micantes:
Plurima se validos cervix resupinat in armos:
Fumant humentes calida de nare vapores:
Nec pes officium standi tenet: ungula terram
Crebra ferit virtusque artus animosa fatigat.
Quin etiam gens ampla iacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum late fecunda proborum.
Namque valent longos pratis intendere cursus.
Nec minor est illis, Graio quam in corpore, forma.
Nec non terribiles, spirabile flumen, anheli
Provolvunt flatus et lumina vivida torquent,
Hinnitusque cient tremuli frenisque repugnant.
Nec segnes mulcent aures, nec crure quiescunt.
Sit tibi praeterea sonipes, Maurusia tellus
Quem mittit, modo sit gentili sanguine firmus:
Quemque coloratus Mazax deserta per arva

---

v. 242. *palmas* A. Gr. P.; *palmis* Ulit. Burm.; *Marte det et palmas nupert grex omnis avorum* G.; *Marte decet palmas grex nuperus omnis avorum* Barth. c.; *Aemathiae palmas superat grex omnis Achivum* Schwartz c.; *Martius et palmas superans grex o. a.* Burm. c.

v. 246. *vagum spl.* G.

v. 254. *grato pro corpore fama* G. B.

v. 255. *spirabile numen anhelae* A. St. Gr. P.; *lumen anheli* Ulit.; *flumen abunde* G.; *flumen anhelis* B.; *fulmen* Heins. in ora cod.

v. 258. *tollunt* vel *motant* Burm. c.

Pavit et assiduos docuit tolerare labores.
Nec pigeat, quod turpe caput, deformis et alvus
Est ollis, quodque infrenes, quod liber uterque,
Quodque iubis pronos cervix diverberet armos.
Nam flecti facilis, lascivaque colla secutus,
Paret in obsequium lentae moderamine virgae.
Verbera sunt praecepta fugae, sunt verbera freni.
Quin et promissi spatiosa per aequora campi
Cursibus acquirunt commoto sanguine vires,
Paullatimque avidos comites post terga relinquunt.
Haud secus effusis Nerei per caerula ventis,
Cum se Threïcius Boreas super extulit antro,
Stridentique sono vastas exterruit undas,
Omnia turbato cesserunt flamina ponto:
Ipse super fluctus spumanti murmure fervens,
Conspicuum pelago caput eminet: omnis euntem
Nereidum mirata suo super aequore turba.
Horum tarda venit longi fiducia cursus:
His etiam emerito vigor est iuvenilis in aevo.
Nam quaecunque suis virtus bene floruit annis,
Non prius est animo, quam corpore, passa ruinam.

---

v. 263. *deformior alvus* G. A.
v. 265. *Quodque iubas pronis cervix diverberet armis* Johns. Gronov. c.; *everberat* Burm.
v. 266. *lascivaque colla solutus* Burm. c.
v. 269. *permissi* Heins. c.
v. 271. *pavidos com.* G.
v. 274. abest in G.
v. 275. *flumina* libri vett.; *numina* B. c.
v. 276. *marmore* Heins c.

Pasce igitur sub vere novo farragine molli
Cornipedes, venamque feri, veteresque labores
Effluere aspecta nigri cum labe cruoris.
Mox laetae redeunt in pectora fortia vires,
Et nitidos artus distento robore formant.
Mox sanguis venis melior calet: ire viarum
Longa volunt, latumque fuga consumere campum.
Inde ubi pubentes calamos duraverit aestas,
Lactentesque urens herbas siccaverit omnem
Messibus humorem culmisque armarit aristas:
Hordea tum paleasque leves praebere memento.
Pulvere quin etiam puras secernere fruges
Cura sit atque toros manibus percurrere equorum,
Gaudeat ut plausu sonipes laetumque relaxet
Corpus, et altores rapiat per viscera sucos.
Id curent famuli comitumque animosa iuventus.
Nec non et casses idem venatibus aptos
Atque plagas, longoque meantia retia tractu
Addiscant raris semper contexere nodis,
Et servare modum maculis linoque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare saltus
Quae possit, volucresque metu concludere praedas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas.

---

v. 284. *veteresque vapores* Heins. c.
v. 285. *tabe* G.
v. 286. *fortia p.* G.
v. 287. *firmant* G.
v. 292. *Mensibus* A. St. Gr. P.; *Messibus* Ulit. c.

Namque ursos magnosque sues cervosque fugaces
Et vulpes acresque lupos, ceu fulgura coeli
Terrificant, linique vetant transcendere septum.
Has igitur vario semper fucare veneno
Cura tibi, niveisque alios miscere colores,
Alternosque metus subtemine tendere longo.
Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur,
Dat Libye, magnarum avium fecunda creatrix;
Dantque grues cycnique senes et candidus anser;
Dant, quae fluminibus crassisque paludibus errant
Pellitosque pedes stagnanti gurgite tingunt:
Hinc mage Puniceas nativo munere sumes:
Namque illic sine fine greges florentibus alis
Invenies avium, suavique rubescere luto,
Et sparsos passim tergo vernare colores.
His ita dispositis hiemis sub tempus aquosae
Incipe veloces catulos immittere pratis,
Incipe cornipedes latos agitare per agros:
Venemur, dum mane novum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris vestigia servant.

---

v. 311. *subtegmina tempore longo* A. St. Gr. P.; *subtemine t.* G.; *subtegmine tendere* Ulit.; *iungere* Gronov. c.; *ponere* Barth. Advers. XV., 8.

v. 312. *Dant tibi* Gr.

v. 314. *Datque grues* Gr.

v. 317. *murice* Barth. c.

v. 320. *venare col.* A. St. Gr.; *vernare* P.

v. 323. *Cornipedem* Heins. c.

FRA-

FRAGMENTA DUO DE AUCUPIO NEMESIANO VULGO ASSIGNATA.

I.

Et Tetracem, Romae quem nunc vocitare Taracem
Coeperunt, avium est multo stultissima; namque
Cum pedicas necti sibi contemplaverit astans,
Immemor ipse sui tamen in dispendia currit:
Tu vero, adductos laquei cum senseris orbes,
Appropera et praedam pennis crepitantibus aufer.
Nam celer oppressi fallacia vincula colli
Excutit et rauca subsannat voce magistri
Consilium, et laeta fruitur iam pace solutus.
Hic prope Pontinum et radicibus Apennini
Nidificat, patulis qua se sol obiicit agris:
Persimilis cineri dorsum, maculosaque terga
Inficiunt pullae cacabantis imagine guttae.
Tarpeiae est custos arcis non corpore maior,
Nec qui te volucres docuit, Palamede, figuras.
Saepe ego nutantem sub iniquo pondere vidi
Mazonomi puerum, portat cum prandia cirro,
Quae Consul Praetorve novus construxit ovanti.

II.

Cum nemus omne suo viridi spoliatur honore,
Fultus equi niveis silvas pete protinus altas
Exuviis: praeda est facilis et amoena Scolopax:
Corpore non Paphiis avibus maiore videbis.
Illa sub aggeribus primis, qua proluit humor,
Pascitur, exiguos sectans, obsonia, vermes.
At non illa oculis, quibus est obtusior, etsi
Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat.
Impresso in terram rostri mucrone sequaces
Vermiculos trahit et vili dat praemia gulae.

COMMENTATIONES

DE

GRATII

CARMINE VENATICO.

Prima pars carminis de armorum usu venaticorum agit omniumque instrumentorum in hoc genere apparatum comprehendit usque ad versum 150. Versatur autem in retibus conficiendis, in formidinum usu atque in iaculorum et venabulorum descriptione.

v. 1. Carmine, inquit, exponam artes, Deorum dono concessas, quae efficiunt, ut venantibus suus labor gratus sit: idque opus tuo, Diana, auspicio aggredior. *Dona divom* appellat, ut Xenophon, principio Cynegetici, *εὕρημα θεῶν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος*: *laetas artes*, ut Nemesianus v. 1. *hilares labores.]* Wernsd. *laetas artes* vere Burmannus explicavit *gratas*, quas libenter exercent. Itaque praeter Statium Silv. IV., 8. v. 26.

laetam parenti virginem,

ubi *mediam* temere Marklandus correxit, et Valerium Flaccum I., 30. a Barthio laudatum, Tacitum iubemus conferre Hist. IV., 68.

v. 2. Per *armos* robur solum nativum intelligendum, non igitur *arma*, sed *armi* intelligendi.] Barth. *Nuda virtus* quae sequitur, non est armis destituta, sed potius

arte et dolo vacua, ut *nudus sine fraudibus ensis* dicitur Silio I., 219. et cfr. Stat. Theb. IV., 229. Infra v. 152. *nudus Mars* distinguitur a bello, quod *ex arte ministratur.]* Wernsd. Frequentius *armos* de animalibus dici Burmannus contendit; negat de homine adhiberi ab Ovidio Heinsius ad Metam. XII., 137., ubi *armo* correctum est ab Meursio ad Lycophr. 233. Illud etsi non est temere annotatum, atque draconi sunt *armi* tributi Metam. IV., 719., equo Metam. V., 229., apro ibid. VIII., 287., denique tauro II., 854. et X., 112. luculentiusque loquitur Ovidius Met. X., 700.

ex humeris armi fiunt —

tamen de homine usurpat Virgilius Aen. XI., 644., Lucan. IX., 831. Humeros dictos cum brachiis olim *armum* et *armos* e Festo et Barthio ad Stat. Theb. II., 475. IV., 19. annotavit Burmannus. Sed cum *nuda virtute* v. 3., quam *inermem* intelligimus atque *ratione et arte carentem* (v. 6.), solos armos intelligendos esse docemur, tum hoc verbo inconsultam proavorum immanitatem non sine bestiarum quadam significatione notavit.

v. 3. *silvas movere* i. e. silvestres feras, dixit ut v. 65. *silvas impellere.* Ceterum hanc sententiam e Lucretio expressit lib. V., 964. sq.] Wernsd. Comparat *mola ovilia* Burm. e Valerio Flacco II., 73. et *silvas fatigare* ex eodem lib. III., 21. *Et silvas moveo* est apud Ovidium Met. VII., 205. *Vita qui erat error* cur tam confidenter correxerit Barthius, intelligi non potest.

v. 5—9. Ratione praelucente viderunt homines, quae vitae auxilia, et qui rectus ordo rerum agendarum esset: atque hinc artes alias ex aliis invenerunt. *Proserere* sumtum est a plantis, quae adultae semen ferunt serendis aliis. Similiter Manilius I., 89.: *Semper enim ex aliis alias proseminat usus.]* Wernsd. Pariter apud Virgilium

Georg. IV., 315. post deorum inventionem latius progrediuntur homines sua industria:

Quis Deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?

Hinc recte *profecti* rescripsit Burmannus contra MS. Thuan. Nihilum est, quod *profecto* maluit Heinsius Syllog. epist. T, III. p. 740. T. IV. p. 294. Iohnsoni emendationem *alii* abiecit iure Burmannus, nam Iohnsono si friget *alia*, quod est in libris antiquioribus omnibus, admisit ipse, si Dis placet, scripturam omnium languidissimam. Cum enim *post* vocabulo serior aetas significata sit, sponte intelligis, non *eosdem*, sed *alios* homines commemorari. *Propior* est autem via *promptior ad venatum exercendum.* Infra ait v. 218.:

vidit, qua propior patuit via

v. 6. *sociam]* locutio e castris sumpta, ut et *rebus gerendis.]* Iohns.

v. 7. *erectus* extat in MS., Aldina, Steyneriana, Gryphiana. Ulitius Turnebi monitu reposuit *rectusque.* Scripturam vero antiquam illam praeferendam iudicamus, quippe quae pondus in se admirabile habeat ab opposito *cecidit*, quod scriptum est in exemplaribus antiquis et notatum a Casp. Barthio ad Claudian. Rapt. III., 273. Sed in eiusdem Barthii editione librariorum ab incuria videtur *cessit* profectum. Nihil autem frequentius est, inquit Burmannus, confusione verborum *cadere* et *cedere.* Illa tamen locutio *retro cadere* etsi Burmanno videbatur praeter latinitatem usurpata, non est, quod per se ac propter se vituperari queat. Rationis autem et ordinis inevitabilem vim quis non cum fulmine sentiat esse comparatam, quo percussa non *cedit* violentia retro, sed *cadit.* Aliud est igitur et lenius dictum ab Horatio:

at vulgus infidum et meretrix retro
Periura cedit —

Carm. lib. I. od. XXXV. v. 25. Itaque ob maiorem vim oppositionis servamus versu 7. *erectus ordo* scripturam. Quocirca singulorum vis verborum facile ab unoquoque potest persentisci, qui sententiam poetae animo perpenderit. *Reluxit* ordo solis instar diu desiderati. *Verum postquam a Syllana violentia Caesariana aequitas reluxit*, inquit Valerius Maximus lib. IX. c. 15. §. 6.

v. 8. *Contiguas* in antiquis est exemplaribus perscriptum, praeterquam quod in Barthii editione Germanica legitur *continuas*. At enim *continuum* vocamus, quod *seriem* rerum efficit, ut alia ex aliis nexa et apta inter se atque colligata videantur. Itaque *continuas* artes dixeris, quae non interruptae, sed *una quasi serie* cohaerentes essent. Atqui non seriem artium, sed coniunctionem praestat significari. *Contigua* sunt enim, quae se invicem attingunt, ut monstravit Gierigius ad Ovid. Met. IV. v. 57. Eandem scripturae discrepantiam confer apud Ovidium Fastis IV. v. 378.

— at mihi quidam
Spectanti senior contiguusque loco.

quo cum loco Claudianum VIII., 481 comparavit Gierigius.

v. 10. Initium et primum momentum artibus Deus aliquis dedit, easque auctoritate sua, tanquam altiore firmamento, munivit: homines secuti, quam partem elegerant, perfecerunt industria et ad summum perduxerunt.] Wernsd. *Deum* pro omnibus unum dici, familiare poetis.] Barth. Dianam intelligit Iohns. conferens v. 350. — *Circum* restituit Ulitius pro *circa*, quod est in Gr. P., et probat Gudius ad Phaedr. III., 20. et Virgilianam imitationem esse credit ex Aeneid. I. v. 175.

— atque arida circum
Nutrimenta dedit —

Igitur tmesis est pro *circumdedit*. Sed in his similibusque soni est suavitati aliquid tribuendum, quae violatur *circa* vocabulo, *a* videlicet littera saepius iterata.

v. 11. Iure displicet Barthio, quod vetus editio praebet, *fundamenta*. Neque vero Burmanno astipulamur *apta firm.* legenti, neque eundem illum sequimur *alta firmamenta* explicantem ab urbibus moeniumque altitudine; namque *munimina* intelligit, *quibus a vi ferarum se defenderent homines*. Nos poetam sentimus, subtilius quidem, sed venustius alta firmamenta Deorum intellexisse auspicium et auctoritatem.

secutus eleganter ponitur pro *executus.]* Barth. Heinsius ad Ovid. Met. V. v. 212 legit

— — — *quisque secuti*

eleganter. — — *Nomine quemque vocatos*

Exhortatur equos.] Iohns.

Non debebat Ovidii locus cum Gratii verbis comparari. Confidenter omnium librorum scripturam retinemus. Nam etsi pervulgare est et tritum, substantivorum collectivorum singulari pluralem verbi addere, rarius tamen adiectivum, collectivi singulari additum, plurali ponitur, ut apud Livium lib. XXVI. c. 35: *ingens turba circumfusi fremebant.* Praeterea nescio, quid admirabile sibi visi sunt invenisse veteres interpretes, cum versus 11. 12. totos ab hippodromo metarumque circuitu explicarent. *partes exigere* nil est aliud, quam *explere* partes. Ovidio Met. lib. I. v. 118 *exegit — annum* dictum est pro *egit*. Deinceps, quod *finem tetigit hominum industria*, ita accipe: *perfecerunt homines opus a Diis inchoatum.*

v. 13. Tu, Diana, vitae humanae, trepidae adhuc et sollicitae propter assiduum cum feris bellum, eam opem, quae prima hominum cura est, nempe salutis tuendae, praestitisti, repertis venationis auxiliis, orbemque hoc tanto damno liberasti. Sollicitam ob metum ferarum vitam hominum amplius descripsit Lucretius V. v. 980. sqq.] Wernsd. Cum Diana v. 16.—20. nymphae silvestres et aquatiles, Faunus, Pan, Cybele ac Silvanus enumerantur.

In his igitur, quam sit male versu 16. *ascivere* inde a Casp. Barthio tractatum, nunc est dicendum. Namque Heinsius ad Ovid. Fast. I. v. 512. correxit: *ascitaeque tuo* —. Deinde e Valerio Fl. II., 378. V., 118. — 200. *accessere* Burmannus reposuit. His adiungimus Frid. Iacobum (progr. Posan. 1826. p. 15.), cui durius videbatur illud vocabulum παθητικῶς intellectum placuitque refingere: *Adsis, quaeque, tuo comites sub nomine divae* — commate interpungens in fine v. 15. Eius autem correctionis haec fere argumenta sunt: „Gratius post rerum generalem indicem breviter venandi artem, quomodo et unde orta, tum a quibus exculta esset, exposuerat; quae expositio finita erat v. 12. Ad aliam igitur rem transit, Deorum invocationem. Ad hanc vero sequentia usque ad v. 24. unice pertinere, orationis ipse tenor precantium contentionem imitatus demonstrat; quum contra enumerare, quae numina in venatione occuparentur, plane ineptum esset". Cum igitur duae res sint, quas vulgatae scripturae vitio dedit vir doctus, pleonasmus sententiarum et absurditas in enumeratione numinum venaticorum conspicua, alterum crimen eo potest elevari, quod non repetitur, sed augetur sententia inde a versu 16.; enumerationis autem ieiunitas non tanta est, quanta invocationis. Nam ridiculum est, quam versu 2. alloquutus erat, iterum invocari Dianam. Tantum abest autem, ut enumeratio numinum diligenti rerum distributioni adversetur, ut in eadem exquisitum quoddam artificium cernatur ab epico genere poesis haud alienum. Noli comparare cum his Olympium Nemesianum v. 86. sq.

Tecum Naiades faciles, viridique iuventa
Pubentes Dryades Nymphaeque, unde amnibus humor,
Assint. —

Probat *ascivere* Iohnsonus, et adire placet Virgilium Aen. II. v. 235.:

Accingunt omnes operi —

ibidem v. 229.

Insinuat pavor —

Silium Ital. XVI. v. 373., quibus addi innumerabilia queunt. — Iure praetulit *numine* Heinsius, quod praebet G. et B., atque etiam exquisitius est. De Nymphis oceani Dianae a Iove donatis videndus est Callimachus h. Dian. v. 13.

— ἑξήκοντα χορήτιδας ὠκεανίνας
Πάσας εἰνετέας.

et Claudianus de laud. Stil. III. v. 257. sqq.

— — *Exercitus alter*
Nympharum incedunt, acies formosa Dianae,
Centum Taygeti, centum de vertice Cynthi,
Et totidem casto genuit quos flumine Ladon.

centum vocabulo notamus numerum saepissime magnum aliquem expressum esse. Simillimus est Virgilius Georgicis IV. v. 383.

centum quae silvas, centum quae flumina servant:

pari modo Cybele curru invehitur Phrygias per urbes

— *centum complexa nepotes*

Aeneid. VI. v. 787. Confer de eodem numero *centum* Aeneid. II. v. 501. Notissima est autem nympharum aquatilium vel Naiadum cum silvestribus vel Dryadibus sive Hamadryadibus confusio. Ceterum non abs re est omnino, quod ex corrupta MSti Thu. scriptura Burmannus refinxit:

Centum omnes nemorum humentes de fontibus omnes
Naiades —

Calpurnium sequutus ille II. Ecl. v. 14.

— *Affuerant sicco Dryades pede, Naiades udo,*

et Claudianum Rapt. Proserp. v. 17.

— *incumbunt* — *udae Naiades,*

Heinsium denique ad Ovidii Epist. XV. v. 162., Metam. XI. v. 221. Deinceps Faunus, Pan ac Silvanus commemoran-

tur. Quae nomina nunc diversa, nunc unum atque idem numen significare constat. Diversi sunt Faunus et Pan apud Virgilium Ecl. X. v. 24.26. Georg. II. v. 494. Similiter a Silvano Panis numen discrepat Ovidio Met. I. v. 193., Plin. N. H. XII. c. 1., Lucano et Diodoro apud Salmasium ad Solin. p. 294. Sed Faunum pro Pane nominat Horat. Carm. I. od. 17. v. 2 et alii. Quod ex corrupta et mutila scriptura MS. in antiquis exemplaribus repositum est: *Latii Faunus qui cultor amoeni* ad prisci regis Aboriginum nomen est referendum. (Virg. Aen. VII. v. 45. — 49. Serv. ad Georg. I. v. 10. Aurel. Vict. or. g. R. 4.)

v. 19. *Maenalius puer* non alius, quam Pan, Deus Arcadiae, cui Maenala curae (Virg. Georg. I. v. 16. — 18.), qui venatu imprimis gaudet. Vid. Theocr. Id. I. v. 16., Callim. h. Dian. v. 87 seq., Calpurn. Ecl. X. v. 3 et Erycii in Pana epigr. in Anthol. Gr. lib. IV. p. 336. Puer vocatus ut alii minorum gentium dii.] Wsd. Aristaeum male intellexit Titius, illum qui venationis auctor dicitur *Arcadiusque magister* Virgilio nominatur, de quo cfr. Virg. Georg. IV. v. 281. — 558., Diodor. Sicul. IV., 81., Schol. Theocr. V., *53.* Bacchum putat esse Casp. Barthius, nuspiam videlicet Maenalium appellatum; et Burmannus de Mercurio cogitabat. De eius in Arcadia cultu videndus Pausanias p. 646. 519. 633., Ovid. Fast. lib. V., 85. — 100. Sed alienus hic est ab Dianae comitatu. De Maenalio Pane nihil non vulgare; nam colebatur ille in Maenalo, Arcadiae monte, pascendis gregibus imprimis apto. Faunum *Maenalium Deum* vocat Ovid. Fast. IV., 649. — 650., et Lycaeum, alium Arcadiae montem, Fauno gratissimum commemorat Horatius Carm. I. od. 17. v. 2. Praeterea in Parthenio quoque monte Pan ἐπιχώριος colebatur, de quibus cfr. Spanhem. ad Callim. h. D. v. 87. — 89. Panis igitur, etsi

Stant aures, imoque cadit barba hispida mento

apud Silium Ital. lib. XIII. v. 333, *puer* tamen a Gratio nominatur, non quod ex diis esset minorum gentium, ut visum Wernsdorfio est, sed ob iuvenilem ac hilarem dei naturam: *λιγυρῇσιν ἀγαλλόμενος φρένα μολπαῖς* et *ἡδυγέλως* dicitur Homero hymn. in P. 24. 37. — *Domitrixque Idaea leonum mater.* De origine nominis *Mater Idaea* audiatur Lucretius II. v. 611. 612. et, qui fuse eam rem explanavit, Gierig. ad Ovid. Fast. IV. v. 181. Alias praeterea mulieres Idaeae nomen ferre, ut Dardani filiam, Phinei coniugem (Apollodor. III., 15., 3., Diodor. Sicul. IV., 43., Ovid. Rem. Am. 434.) ac Nympham, matrem Teucri e Scamandro (Apollodor. III., 12., 1.) annotavit Ilgen. animadvv. in Virgil. Cop. Hal. 1820. p. 45. Cybele igitur quo iure Dianae annumerata sit ministris, quamquam a nemine videmus demonstratum, tamen illud ex singulari et reconditiore quadam arte poetae profectum est. Additur *illa* iccirco reginae silvestri, quia pariter ac Diana rudis vitae cultrix atque magistra dicebatur. Ergo non sine ratione *domitrix leonum* est adiectum. Veteres enim poetae

Adiunxere feras; quod, quamvis effera, proles
Officiis debet molliri victa parentum,

Lucretius inquit lib. II. v. 605. 606., et:

— Feritas mollita per illam
Creditur. Id curru testificata suo est,

Ovidius Fast. IV., 217. 218.

v. 20. *Silvanus termite gaudens.* Silvanus exhibetur in priscis monumentis coronam gerens ex frondibus arboreis, manu tenens cupressum aut alium arboris truncum. Talis occurrit in marmore apud Boissardum T. IV, tab. 30. p. 134. vid. Heyne ad Virg. Georg. I. v. 20.

v. 21. — 24. Nunc argumentum libelli proponit, cum distributione. Carmine meo, inquit, et arma dabo venanti et quibus artibus adhibenda ea et tractanda sint,

docebo, primo autem de cassibus et plagis, quibus ponendis astus inest et sollertia, incipiam. Ita Xenophon etiam arma descripturus praefatur: *φράσω καὶ αὐτά, καὶ τὴν ἐπιστήμην ἑκάστου.*] Wernsd.

v. 22. Aliena sunt omnia et mirum quantum ieiuna ista ab Turnebo, Ulitio, Iohnsono, Heinsio et Burmanno emendata. In MS. est *carmine lesus.* Quod quidem quasi manu ducere videtur ad correctionem hanc:

His ego praesidiis nostram defendere sortem
Contra mille feras, et non sine carmine, l a e t u s,
Carmine etc. —

Itaque sic iunge verba: *laetus*, *defendere* etc., ut: *fons rivo dare nomen idoneus* et similia cfr. Bentleium ad Hor. Carm. I. od. 1. v. 6. Iam vero quam lepida arte haec omnis sententia est pronuntiata! Nam arbitror equidem, poetam suam ipsius vitam artemque venatoriam ab ipso factitatam tangere simulque poesis aliquam ipsum sibi laudem addere (*et non sine carmine*). Itaque totum sic habeto: *His ego praesidiis, qui ipse laetus sum venatu pariter ac poesi; carmine dabo etc.* Ceterum *praesidibus*, non *praesidiis* scriptum apud Burmannum est. Conturbat autem sententiae continuitatem *at* particula, quam pro *et* commendavit Fr. Iacob. progr. Pos. p. 15.

v. 24. Antiquorum exemplarium scripturam *venandi — artem* vere correxit Wernsdorfius, ut inde convenientia efficeretur cum Ovidio: *aptaque venanti Gratius arma daret.* Versu 24. quod legitur *plagii* in MS. etsi non est vulgare, tamen Gratio vindicavit C. Barthius, sed reformidavit recipere Burmannus. Vide ad Nemesianum v. 300.

v. 25. Explicatur inde ab his versibus retium conficiendorum ratio, diversa nostrae ab aetatis arte, nec libera ab omni verborum vel corruptela vel difficultate.

Hinc intelligitur, non omnia posse a nobis ad accuratam rerum singularum intelligentiam conformari, quamquam, quae verba artis et exercitationis venaticae propria sunt, et comparando et coniectando licebit assequi. De illa igitur arte copiose exponit auctor libelli Xenoph. de ven. sect. 3., 4., commemorat quaedam praeteriens Olympius cyn. v. 300. sqq. A Gratio autem unum genus retium describitur, quod *ἄρκυες* dicitur a Xenophonte cp. II., a nobis *Sacknetz* appellatur, quodque forma sua marsupium efficiens magnis est bestiis excipiendis idoneum. Wernsdorfi sententiam, *prima* esse *artis prima*, *principia*, *prima praecepta*, nos quidem pro nihilo habemus. Est adverbii loco positum ut Graecorum *πρῶτα*. *Limbum* igitur, quem nos *den Saum* vocamus, *quattuor iubet filis torqueri*. Non male in MS. versu 26. extat *Quadruplicis*, ita limbos intelligimus quadrangulis maculis inter se plexos. Apris *capiendis limbos* complecti XLV filis Xenophon auctor est de ven. cp. IX. sect. 13., tribus videlicet *τόνοις*, quorum quisque constet quindecim *λίνοις*. Itaque quattuor limbis sive funiculis ex tenuibus lini filis inter se plexis *linea* conficitur, quam *περίδρομον* appellavit Xenophon. Hanc lineam stabilem dicit ac diuturnam esse. Deinceps versibus 28.—33. altitudo ac latitudo retis definita est. Nunc igitur quod inde ab linea retrorsum est marsupium complexum, *cassis* vocatur, quem Graeci *σκυτάλην* dicunt. Eum, *qui nascitur ab illa linea cassem medio ore*, *id est a media parte eius lineae*, *quae marginem efficit*, *oportet circumlaqueare per senos sinus vel segmenta*, *usque dum terminatur rete suis angustiis*, *qui iustus circuitus est et aptus ad maximum quemque hostem continendum*. Tum *quadraginta passus* rete vult longum esse, altitudine vero *decem nodos* vel *maculas* non excedere. *Ingrati sinus* sunt casses maiores, qui nullam ab arte et ratione gratiam habent, et impendia in eos facta non pensabunt utilitate, abnormes, immodici. Hanc, qualiscunque est, dedimus ex-

plicationem ab Wernsdorfio potissimum sublevati. — Nunc de singulis est dicendum. Versu 26. *limbum* vocabulum patet a Gratio praeter consuetam significationem adhibitum. Sed quod suspicatur Frid. Iacob. Annalibus phill. et paedd. a. 1826. Tom. II. Vol. 1. p. 131. *quadruplices lineas* non potest intelligi. — Eodem versu *adstringere* Graecorum est *ἐφάπτειν*. Ergo Sophoclis Antigona v. 40. Herm. genuinam scripturam e scholio:

Τίδ', ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγώ
λύουσ' ἂν ἢ' φάπτουσα προσθείμην πλέον;

memini olim a Carolo Reisigio intra privatos parietes proverbio explicatam Graecorum quodam a filis plectendis sumpto. — Deinde versibus 29. 33. *sinus* vocabulum diverso esse significatu positum, facile perspicuum erit sententiarum ordinem consideranti. Etenim versu 29. *senos sinus* esse *senas partes* marsupii, quae fortassis aliquid concavi in se habeant, deinde versu 33. *totum marsupium* significari, coniectura licebit enuntiare; nisi forte maiore corruptela affecta sunt verba. — v. 29. *laqueare*, raritatem verbi commemorant veteres. Cfr. de usu vocabuli Manil. V., 659. — *concipiat* recte Barthius explicavit per *capiat*, quod non commemorarem, nisi falso scripsisset Burmannus: *concipiat explico plures simul capiat.* Virgilius Aen. XII. v. 13. alienus est. — Tum versu 30. *tergum* appellat totam planitiem retis, ut apud Virgilium Aen. X. v. 784. — *Si quisquam est plurimus, hostem.* Ita vere interpunctum est in antiquis exemplaribus omnibus. Adeo nihil viderunt quidam, ut *plurimus* vocem referrent ad *cassem.* Quamquam copiosum genus ineptiarum a C. Barthio et Burmanno inductum nil attinet recoquere. Sed quoniam in MS. est *omni*, non repugnabimus, si legatur:

ut omni

Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem;

namque sententia est: *ut maximum quemque complecti queat.* Illud quoque Thomas Iohnsonus vidit, *plurimus* esse pro *maximus*, quemadmodum est Ovidio Met. VIII. v. 583.

— *cum plurimus unquam*
Tantus eram; —
ibid. XI. v. 140.
— *Fonti qua plurimus exit.*

Exempla congessit ubera Wunderlich. ad Virgil. Georg. II. v. 183. — *si quisquam* positum est pro *etsi quisqu.* Plautus Mil. Gl. III., 1., 37.

Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio est senex.

Cfr. Terent. Eun. I., 1., 4., Phorm. V., 7., 82. Sic apud Graecos quoque εἰ cum optativo ponitur Matthiaeo docente Gr. Gr. p. 1017.

v. 31. Duriusculum est: *spatium praetendere bis vicenos passus.* Non spernendum igitur, quod in Barthiano libro extat: *ad bis vicenos.* Ceterum, quod decem nodorum vel macularum altitudinem iubet rete explere, apprime cum his convenit Xenophon de ven. cp. IX. sect. 13.: ἀπὸ δὲ τοῦ κορυφαίου τὸ μέγεθος δεχάμματοι — Versu 33. ne quis structura verborum conturbetur, *ingrati* iubemus pronuntiando acuere; est enim haec sententia: *Ingrati sinus sunt ii, qui maiora flagitant impendia. Ingratum* est autem *inutile.* cfr. *gratos fines* v. 229. et *gratiam* v. 74. 216. Virgil. Georg. I. v. 83. Itaque similiter Xenophon monet de ven. cp. II., ne δίκτυα iustam mensuram excedant, alioqui sunt δυςμεταχείριστα.

v. 34. Patria linorum varia commemoratur. *Cinyphiae paludes.* Laudat Κίνυφον flumen Plinius N. H. V., 4. cum Herodoto IV., 175. Erat autem in regione Africae inter utramque Syrtem, idemque Κίνυψ dicebatur. *Cinyphias segetes* vide apud Ovidium epist. ex P. II., 7. v. 25. Itaque Καρχηδόνιον linum nominavit Xenophon de ven., Carthagine scilicet in propinquo sita. — *ne quid contere. cunctari* verbum pariter pro *dubitare*, *deliberare* adhibuit Ovidius Met. V., 32.

v. 35. Sive Ulitii est coniectura, sive antiquorum scriptura exemplarium, quod *Aeoliae de valle Sibyllae* nostris in libris legitur, non debet illud omnino contemni. *Aeolia de valle* est in Aldina, Stein. Gr. L. et Iohnsoniana editione. Sed posterius praefero atque *Aeoliam vallem* confidenter aio *Cumas* esse. Itaque Cumanam intellige Sibyllam, quam dicunt olim Aeneae vaticinatam auctoribus Virgilio Aen. VI., 98., Aurel. Victor. or. g. R. 10., Dionysio Halic. I., 1., 55., Tibullo II., 5. v. 19. Cumas autem Aeolensium coloniam fuisse auctore Scymno Chio [*Κύμη, πρότερον ἣν Χαλκιδεῖς ἀπῴκισαν. Εἶτ' Αἰολεῖς.*] docet Bentleius ad Horat. Epist. lib. I., 18. v. 46. Praeterea Plinius quoque N. H. XIX. c. 1. Cumani lini praestantiam collaudat.

v. 36. *foetus* pro *germen.* Columella lib. IX. c. 20.: *Saltus eliguntur, qui et terrenis foetibus et arboreis abundant.]* Barth. *stupea* a Graecis oriunda vox; vide Festum s. v. Significat autem ut *στύπη*, *στύππη*, *στύπος*, ita *stupa* linum rudem atque impolitum sive proventum lini, quas mox *cannabias silvas* vocat.

v. 37. *Ros* et Graecum *δρόσος* etsi aliquando poetae pro *omni humore* usurparunt, ut Horatius Carm. III. od. 4. v. 61.

Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos —

(cfr. Potter. ad Lycophr. 322.), hic tamen intelligendum Burmanno monstrante de *levi summae aquae aspergine*, *qua madefit linum flumini vicinum.*

v. 38. *Qua cultor Latii per opaca silentia Tybris Labitur. Cultorem* appellat flumen, quod fecundum reddit Latium. Multum halucinatur in his Burmannus. Nota est autem umbrarum Tiberinarum amoenitas e Virgilio Aen. VIII. v. 31., Ovidio Met. XIV. v. 447. *Tybris* scriptura poetica est, magnificentius dixere *Tiberinus* aucto-

auctore Servio ad Virg. l. l. *Os magnum* vocat, quod nimium quantum ad mare creverat Tiberis multis influentibus fluviis, quorum XLII numerat Plinius N. H. V., 3. Namque ipsum quidem os prisca iam aetate arena obstructum fuit, testibus Livio II., 5. Dionysio Hal. V., 13.

v. 40. Cfr. praefationem init.

v. 41. Veterum exemplarium scripturam: *Hispanique Saetabes* correxit Is. Vossius ad Catull. XII. p. 35. Saetabis, Hispaniae oppidum, Σέταβις vel Σαιταβὶς a Strabone vocata, nunc illa est Xativa, Valentiae urbs, quemadmodum docuit Rupertus ad Sil. Ital. III. v. 374. Hispanicum igitur linum, ut candidissimum, ita tenuissimum fuit. Cfr. Plin. N. H. XIX., 1. Itaque funibus ac retibus faciendis vix idoneum erat, sed velis potius et carbasis impensum est. Contra commendat spartum Iberum retibus Oppian. Cyn. III. v. 342. Copiose haec tractavit Salmasius ad Solin. p. 185. ed. Trai. ad Rh. 1689.

v. 42. *Vix operata suo sacra ad Bubastia lino*
Velatur sonipes aestivi turba Canopi.

Tolerabilem hancce Wernsdorfi scripturam amplectimur. Vetustorum monstra exemplarium nil attinet enumerare. Nimiam, inquit, esse Aegyptiaci quoque lini tenuitatem, quam quae venatoribus prodesse possit. Prae ceteris autem Aegyptiorum sacerdotes linorum in vestimentis subtilitatem adamarunt. Itaque Plutarchus, quemadmodum philosophis πωγωνοτροφίαν, ita λινοφορίαν sacerdotibus Isidis ait propriam esse. Hinc Plinius de lino illo tenuissimo: *vestes*, inquit N. H. l. l., *inde sacerdotibus Aegypti gratissimae.* Illud vestimenti genus etiam e lana arboris conficiebatur, quam gossypium nominat Plinius XIX., 1. et ἐριόφορα δένδρα Theophrastus ap. Salmasium ad Sol. p. 701. Vix igitur corpus velabatur tenuitate lini. Haec quoniam est vera sententia, etsi Hadr. Iunius Animadv. III., 19. intelligit de *penuria lini*, non debebat Ulitius

Salmasio astipulari pro *aestivi Canopi* corrigenti *festivi.* Quippe *aestiva* regio tenue efflagitat vestimentum. Itaque Nilum *aestivum* appellat Claudianus in Ruf. I., 185. perperam olim a Barthio intellectus. Sacrorum vero Bubasticorum rationem ex Herodoto lib. II. c. 59. hanc habeto: *πανηγυρίζουσι δὲ Αἰγύπτιοι οὐκ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ. — μάλιστα μὲν καὶ προθυμότατα ἐς Βούβαστιν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, δεύτερα ἐς Βούσιριν πόλιν τῇ Ἴσι. — ἐν ταύτῃ γὰρ δὴ τῇ πόλι ἐστὶ μέγιστον Ἴσιος ἱρόν· ἵδρυται δὲ ἡ πόλις αὕτη τῆς Αἰγύπτου ἐν μέσῳ τῷ Δέλτα. Ἶσις δέ ἐστι κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν Δημήτηρ.* — Teste eodem Herodoto lib. II. c. 156. Artemis Aegyptiis est Bubastis. Ibidem cap. 60. uberius explicatur Isiaca sollemnitas, quam choricis saltationibus imprimis celebratam scimus (*ὀρχέονται* ap. Herodot.). En, *sonipedem turbam* habes explicatam, quam *tripudiantem* vel *ποδόκτυπον* vere Salmasius interpretatur ad Solin. p. 702. nimiumque procul iudicabis a vero abesse eos, qui de equorum sonitu quadrupedante cogitarent. Scilicet in eiusmodi sacris instrumentis quibusdam, quae *scabilla* vocabant, pedibus subiunctis festivo motu edere sonum consueverunt. Quin etiam ferrum plantis erat subditum, sonus ut vividior fieret. Itaque in describenda saltatione ista *σιδηροῦν ὑπόδημα* e Luciano apte commemorat Salmas. l. l. Praeterea *Canopus*, prope Nili ostium atque Alexandriam sita, quam a *Canopo* dicunt Menelai navigatore conditam, *Heracleoticum* quoque ostium vocabatur. Confer Plinium N. H. V., 31., Vossium ad Virg. Georg. IV. p. 830. Denique ipsis incolis appellitatam fuisse *Canobum* Quintilianus est auctor I., 5., 13.

v. 44. 45. *Praeter materiae inertiam nimius etiam candor e longinquo exterret bestias.* Proverbium hinc apud Ovid. Rem. Am. 516.: *Quae nimis apparent retia, vitat avis.* Quasi praetereundo notamus versu 45. *exterruit* praeteritum pro aoristo positum. Ita apud Gratium v. 89. 417. Sil. Ital. II., 674. Copiam exemplorum congessit

Graev. Lectt. Hesiod. c. 5. Casaub. ad Pers. II., 5. vid. Rupert. ad Sil. l. l. Gronov. ad Liv. XXIX. c. 27.

v. 46. Perperam laboravit Barthius in *paupertate* custodis, cum Alabandae, Cariae urbis, effeminatam luxuriam cognosset e Strabone XIV. p. 661., atque notatam eandem vidisset a Iuvenali Sat. III. v. 70. Quasi vero in agresti custode non possit egentia inveniri! Plinium iubet Wernsdorfius conferri N. H. XIX. c. 9.: *Optima Alabandica* (cannabis) *plagarum praecipue usibus.* Porro:

v. 47. 48. 49.

— quam commoda nostro
Armamenta operi: gravis est tutela sed illis,
Tu licet Haemonios includas sentibus ursos.

Transcripsi verba, ut apud Wernsdorfium leguntur. Quorum hanc putat esse sententiam Barthius: *utilissima nobis sunt armamenta* (ὅπλα apud Oppian. Cyneg. I., 148.), *sed non facile ea a vitiis, quorum capacia sunt, custodiuntur.* Praeteriens nota *armamenta* vocabuli usum de funibus saepenumero vel rudentibus nauticis dicti. ὅπλα apud Hesychium sunt τὰ τῆς νεὼς σχοίνια. Itaque interruptam putat orationem Barthius, cohaerentibus videlicet verbis: *quam commoda — operi; Tu licet Haemonios* etc. At enim tueri cannabim ab humore ecquam molestiam habet? Iam vero illud considerandum, quod male est ab Ulitio Burmannoque annotatum, quum *sed* particula hoc loco enunciationem non possit adversativam exprimere, significare illam *sed etiam* apud Quintil. instit. VIII., 3.: *decentior equus, sed idem velocior.* At egemus ita aucto sententiae alterius pondere. Sed verba, quem debeant in modum et corrigi et explanari, docemus tum MSti Thuanei vestigiis, in quo abest illud *est*, tum ipsius ratione sententiae, quam manifestum est hanc esse: *Commodissimus est cannabis usus Alabandicae, et optimam praebet contra feras tutelam.*

Ergo non undiquaque probamus, quam Frid. Iacob. protulit interpunctionis mutationem hanc:

gravis est tutela, sed illis
Tu licet Haemonios includas sentibus ursos

Iahni annall. phill. et paedd. Vol. I. 1826. Tom. II. p. 132. Nam id quidem primo oculorum obtutu patet, quod de Haemoniis est ursis dictum, non posse non ad priora referri verba: *gravis tutela;* quorum sententia confirmatur immanium bestiarum commemoratione. Tum vero cur *illis* pronomen *sentibus* sit adiectum, neutiquam perspicitur. Perperam enim scriptum est in Pithoei exemplari *retibus*, unde Turnebus reposuit *cassibus.* Quid multa? Reconditum vocabulum et venatoribus proprium in corruptela delitescere, paene adducor ut credam. Itaque attende, quaeso, animum ad *sentes*, quibus ursos inclusos ait et scribe:

— gravis et tutela sedilis
Tu licet etc.

Vide, ne *sedile* appellaverit *domicilium* seu *cubile* ferae, quod nos *das Lager* dicimus. Avium *sedile* commemorat Varro R. R. III., 5. idemque significari apud Gratium arbitror, quod sequente versu *sentes* vocaverat. Consueverunt igitur venatores in maiorum venatione ferarum, ubi cubile indagatum erat, aditus expansis cassibus obstruere. *Claudere retibus* venatoria vox est, ut apud Ovid. Fast. V., 371. Itaque tanta est eiusmodi retium in tuendo ac circumcludendo cubili praestantia, ut ne a maximis quidem bestiis perrumpi queant.

v. 50. *Humor retibus maxima pernicies.* Pervulgatam et tritam notamus generis attractionem: *vitiorum pessimus humor*, de qua adeundus est G. Ioann. Vossius de constr. p. 12. 13. et Lambinus ad Horat. Sat. I., 9., 4., quod genus loquendi metrorum necessitudine plerumque flagitatum est.

v. 52. Ulitio astipulamur, qui, cum perverse olim sic interpungeretur: — *armis. Nulla fides ergo.*, verius distinguenda verba curaret. Tum vallem *angustam*, qualem decursus aquarum fecit, retibus ait obesse. Versu 53. *opus* intellige de venatione, ut v. 48. et alibi. Sed cum veteribus exemplaribus perscriptum esset: *crassaeque modum fecere* Pithoeusque coniecisset *crassaeque udum f.*, verum vidit aliquantulum D. Heinsius, libri Ms. auctoritate motus; ubi cum invenisset *caussaeque malum* Parisiensi et Lugdunensi libro consentientibus, ipse veram scripturam refinxit: *malum fecere* (Epist. ad Graev. T. IV. Syll. p. 287.). Sed *crassae* scriptura sustentatur Olympio Cyn. v. 315., Martial. XI., 21., Virgilio Georg. II. v. 110. Striblíginem metri induxit Turnebus sua coniectura: *madefecere.*

v. 54. Non haeremus in *perfuderit* verbo, cui ut accusativum cogitatione adderent aliquem laborarunt interpretes. At enim saepissime transitiva verba intransitivam significationem habent, ita enim cum grammaticis licebit loqui. Vide exempla apud Vechnerum Hell. I. c. VI.

v. 55. Inepta omnia obtrusa sunt Gratio. Ecce, quod nescio qua lege prosodiae scripsere quidam *Phoenices!* *Helice* vero, quod est sidus ursi maioris apud Ovidium Fast. III., 108., septentrionem notat, cui constat tempestatem serenam propriam esse, hinc aquilonem *clarum* vocat Virgilius Georg. I. v. 460.; nec fugit hoc Gronovium Observ. II., 13. laudatum ab Wernsdorfio, qui Ovidium comparat Met. I., 262. Aquilo igitur, qui ab Arcto spirat, nubes et imbres fugat, et siccitatem inducit. Tum versu 56. observandum est illud, de quo Vossius loquitur ad Georg. II., p. 362., consuesse veteres agriculturae et navigationis instrumenta itemque retia, ne quid ex humore detrimenti caperent, supra focum fuliginatum suspendere.

v. 57. Vetant linorum messem aggredi prius, quam matura et fervida aestas venerit et messis frumentariae tempus, quod ortus Pleiadum designat. Vid. Hesiod. Opp. 383. Ovid. Fast. V., 599.] Wsdorf. Pleiadas verbo attingimus. Eas Plinius docet N. H. XVIII., 25. serenam aestatem nunciare. Earum igitur ortu et occasu opera rustica definiebant, ut apud Hesiodum Opp. 383. De quarum ortu vide et compara Varronem I., 28. Colu-mel. XI., 14. Petavium Varr. Dissert. lib. II. cap. 9., quos affert Gierig. ad Ovid. Fast. V., 599.—602. Cfr. praeterea Vossium ad Virg. Georg. I., 138. Neminem autem inveneris, cui displiceat Ulitii correctio *accenderit annum*, quod probatum etiam Scaligero est, Heinsio et Graevio Syll. epp. IV. p. 284. Olim legebatur *annus* in Gryphiana et Parisiensi; *annos* invenerunt illi in MS. Similiter Claudian. de cons. Mall. Th. v. 79. de sole: *accenditque diem.*

Versu deinde 59. vestigia sequutus MS. Thu. *promisserit*, quoniam displicet, quod in textum tacite induxit Burmannus *se prompserit*, scripsisse credo Gratium: *claros promiserit ortus*, i. e. *serenum Solis nunciaverit ortum.* Ceterum sententiam habes simillimam apud Virgilium Georg. I., 66.

— *pulverulenta coquat maturis solibus aestas* —.

Itaque recte videor negare, quod homines, quamvis docti, commenti sunt, coniectura esse tentandum *imbiberit* verbum, nisi quod praestat, si placet, *imbiberint* a Burmanno profectum. Duobus autem modis falsi sunt, opinor, in hoc versu interpretes, primum quod messes existimarunt *caliginem* imbibere (v. 56.), deinde quod antiquam scripturam *imbiberint* immutarunt. Ac prius quidem reapse perversum est; neque credo equidem tam crasso filo Gratium sua verba composuisse, ut distraheret torquendo, quae apte posset coniungere. Itaque ad Solis Pleiadum-

que claritatem proxime antecedentem aio hoc verbum referendum esse. Adeo plana est poetae sententia: *humorem debent vitare retia, contra Solis utilissimus ardor est.* Hoc pacto intelligis quam depravata sit verborum concinnitas Iohnsoni non minus coniectura: *imber erit*, quam Frid. Iacobi, qui etiam peius correxerit: *claro promiserit ortu imbriferos ventos.* Hoccine de aquilonis et Pleiadum serenitate? Ergo imbrem exspectare debent lina, quem versu 54. vitare debuerunt? Est autem *si* particula cogitatione addenda ante *imbiberint*, de qua re Burmannus iubet conferre Ovidium Amor. I., 4., 29. Denique versus 60. alterum hemistichion plane corrupit Ulitius scribendo — *tanto despondet longius usu*, i. e. *linum votis retiarii non respondet, si humorem imbiberit.* Nam nec usitata vox est *despondere* hac significatione, nec de imbribus est imbibendis cogitandum. Optime ad editionum veterum scripturam sic constituit versum Wernsdorfius:

Imbiberint, tanto respondet longior usus.

Trank er genug, um so mehr wird er langen Gebrauch dir verheissen,

doctus amicus vertit germanice.

v. 60.—74. Iam, quae de compositione et apparatu rerum humilium dixerat poeta, ea nunc more suo ad magnificorum exemplorum rationem et imaginem conformat. Semidei igitur cum heroibus et laudem e venatione impetrarunt immortalem, et sine arte illa nihil magnopere effecerunt. De quibus quum sat verborum ante Wernsdorfium multi facerent, in hoc tamen acquieverunt, ut verba facerent. Ordo sententiarum hic est: Magnum et arduum opus est universa venatio; quam sine periculo nemo attingat, nisi cura et consilio eius difficultates superare didicerit. Hoc deinceps declarat vetustatis exemplis. (Wernsd.). Sed conturbatur ista verborum ratio iis, quae quinque abhinc annis fuse disputavit Frid. Iacob.

programm. Pos. 1826. p. 12. sqq. Qui cum versu 61. *magnum opus* perperam de retium ac linorum apparatu acciperet, ridiculum putabat, quod Semideorum nomina *magni in cannabi alenda parandaque laboris exempla* proponerentur. Ergo audacter transposuit versus 61.—74. post versum 24. At enim vero quod principio nititur falso, verum esse per se nequit. Namque *magnum opus* non ad *retia*, sed ad venationem refertur universam. Nec Wernsdorfius debebat assentire Iohnsono, qui vulgatam scripturam sic iussit emendari:

Semidei, coelum aggeribus tentare superbis.

Nos vulgatam tuemur eam, quam in textu curavimus imprimendam, defendimusque Gratii modum loquendi duriusculum, qui, ad antiquas fabulas quae pertinent, ea significare maluerit, quam accurate usquequaque describere et explanare. Vere Wernsdorfius vidit Excursu I., usque ad vers. 65. Orionem significari. Quamquam in sententia errare non mediocriter istos intelligo, qui accuratam rerum historicarum convenientiam desideraverint. Sic enim habeto: *Magnum est plenumque laboris opus venaticum. Nonne vides semideos, quam misere ceciderint in venatione meis artibus nondum instituti?* Sed his quasi parenthesis loco interiecta sunt illa: *illi aggeribus tentare — deorum.* Iam de singulis, quantum fieri cunque potest, videamus. Heroum igitur semideorumve aetatem venatione insignem fuisse Rutilii constat testimoniis I., 365:

Secula Semideum ferrati nescia Martis
Ferro crudeles sustinuere feras.

In sententia illa (v. 63. 64.) exemplorum caussa interposita Orionem significari, persuasum est nobis. Quem, Neptuni filium et vasta corporis magnitudine praeditum, *θῆρας ὁμοῦ εἰλεῦντα κατ᾽ ἀσφοδελὸν λειμῶνα* describit Homerus Od. λ', v. 573. Comparare licet Horatium Carm. III., 4., 71., ubi cum *integrae tentator Dianae* appellatur, adum-

brata, si non explicata, Gratii verba sunt: *matres ausi tractare deorum*, quae, utcunque lubet, vel ad Orionem, vel ad Tityum Latonae, vel ad Ixionem Iunonis tentatorem referri possunt. Scilicet in eiusmodi fabularum obscuritate non licet confidenter affirmare quicquam. Nam eundem Orionem, ut, quid *ire freta* sit, appareat, pontum potuisse pedibus calcare, auctores sunt Virgil. Aen. X., 763. et Apollodor. I., 4., 3.: *τοῦτον γηγενῆ λέγουσιν ὑπερμεγέθη τὸ σῶμα. — ἐδωρήσατο δὲ αὐτῷ Ποσειδῶν διαβαίνειν τὴν θάλασσαν*; nisi forte ad Argonautarum expeditionem verba placet referre. *Ire freta* non aliter accipiendum, atque apud Tullium de Fin. II., 34. *mare ambulavisset.* Itaque mixtos inter se Orionem vides atque Gigantes, non quod venatores fuerint omnes, sed quod poeta ex antiquis fabulis semideorum quosdam vasto corpore praeditos magnosque labores molitos tamquam exemplo induceret. Ceterum, si cui placet versu 63. haesitare in accusativi omissione post vocem *tentare*, hoc quoque, ut peculiare, condonandum Gratio. Cfr. vers. 54. et 60., ubi *imbiberint* accusativo caret.

v. 65. *quam magna mercede.]* Perperam *mercede* pro *poena* accepit Wernsdorfius. Apud Phaedr. fab. I., 17. *haec merces fraudis a superis datur* ipsa sententia iubet de *poena* cogitare. Sed hoc loco *quanta* cum ironia est pro *quantula* dictum. — *Meo munere* cfr. v. 73. *meis ab artibus.* — *Silvas impulerit* ut v. 3. *silvas movebant.*

v. 66. Affert exempla eorum, qui a feris occisi temeritatis, nulla arte adiuti, poenas luerunt. Adonidis fabula nota est, Bionis Idyllio primo, Theocriti Adoniazusis et Ovidii Met. X., 710. seq. celebrata. *Flet adhuc et porro flebit*, haec respiciunt ad Adonia, festum Graeciae quotannis actum, quo lugere occisum Adonim Venus fingebatur, quodque ipsa instituit.] Wernsd. Necatus est

Adonis ab apro in Idalio, Cypri monte, secundum Propertium II., 13., 53. Cfr. Theocriti carmen Anacreonticum Id. 30. Gierig ad Ovid. Met. X., 713.

v. 67. *Victa Venus* dolore, vel fatis concedere coacta. Iuno apud Virg. Aen. I., 37.: *Mene incepto desistere victam?]* W e r n s d. Aliena sunt Virgilii verba et friget ista explicatio. Immo, si recte sentio, *victa* vocabulum subtilius indicat *naturam Veneris divinam*, *quae alioqui lacrimarum humanarum nescia est*, *fletu aliquantulum inquinatam.*

v. 67. Antiquissimis exemplaribus perscriptum est *in arvis.* Sed Ancaeus, cum esset Arcas, in Aetolis agris, non in suis, cecidit. Ergo vere correxit Dan. Heinsius *in armis* ad Ovid. Met. VIII., 391. Sed, quasi nesciret eruditorum quispiam de apro Calydonio fabulam, *suis* a *sue* sat inepte derivavit Burmannus. Referuntur igitur haec ad *Ancaeum bipenniferum*, Arcadem, ab apro Calydonio saucium, qualis extat in monumento Tegeatico expressus teste scholiasta ad Apollonium I., 188., Gierigio ad Ovid. Met. VIII., 391., qui comparat Euripideum illud: *πελέκεως δίστομον γένυν γ᾽ ἐπάλλ᾽ Ἀγκαῖος.*— *praedexter* valde dexter, valida dextra usus. Comparat Wernsdorfius *praetorridus* Calpurn. Ecl. II., 80. et Graecorum *περιδέξιος.* — *Cecidit* igitur ita *ut erat*, dextra elata ictum inferens et in digitos erectus *(ingens).* Formula poetis usitata *ut erat* vividiorem reddidit imaginem. Ovid. Fast. I., 424. *sicut erat.* Ovid. Met. VI., 124. *utque erat.* ibid. VI., 657. IV., 437. Cfr. Iani Art. Poet. Lat. p. 384.

v. 69. *Cultor feri orbis* Hercules, quod feris, monstris, tyrannis sublatis, orbem ad humaniorem cultum traduxit.] W e r n s d. *Tyrinthius* pariter dicitur Ovidio Fast. lib. V. v. 629. In codice Thuaneo erat *qua laus*
a
erat abulla psosi. obvia bene praebent libri antiquitus vul-

gati, sed *passi* non est latinum, neutro et feminino praecedentibus. Hinc probamus Iohnsoni scripturam *passa*, quod quum MS. vestigiis respondet, tum maiorem in se vim habet, quam quod Wernsdorfius coniecit *plausit* i. e. *plausu prosecuta est* (ut apud Statium Silv. V., 3., 140., Ovidium Trist. IV., 2., 49.). *sensit* commendavit Frid. Iacob. Itaque, quod venationis arte Hercules *laborem primum illum patravit* et leonem Nemeaeum occidit, icirco *honorem* dicitur *primum*, h. e. *opus honorificum*, *patrasse*. Non solet illud, quod praebet MS. Th. *impetravit*, produci media syllaba.

v. 73. 74. *Exige* ergo, pondera et considera diligenter, si qua utilitas, grata venantibus, ab arte et experientia mea exspectari possit.] Wernsd. *exigere* locutio de libra sumpta, ad quam exigitur pondus rerum; sic Ovid. Met. X., 587. Cic. ad Div. X., 24. — *respondet ab*, *quod MSto* vicinum est, praeferendum Heinsii scripturae *se sp.* Quoties enim *ab* praepositio, praeter usitatam verbi adiuncti structuram, notionem aliquam caussalem inducat, exemplo patet ab Ernesto allato Clav. Cic. v. *intersum*. Itaque nos: *erwäge daher*, *ob in Betreff meiner Künste ein Nutzen denselben entspreche*. Nihil potest autem magis absurdum excogitari, quam quod v. 74. nomen suum quasi ludendo induxisse Gratium Ulitius commentus est. *Gratiam* significare *utilitatem*, cum versibus 266. 429. tum aliunde patet. Non licuit, hercle, Burmanno Ovidium comparare Met. V., 378., ubi *si qua est mea gratia* sollemnis est in precibus formula. Deinde vero inauditum est illud, quod *collata* Barthius vult esse *in medium data et communi usui praestita*, neque Burmannus verum vidit coniectando: *quae vires fallant c. f.* Duriuscula est autem ipsius poetae locutio, qui hoc vult: *pondera igitur*, *num meis ex artibus utilitas et tutela proveniat*, *quae conferri*, *i. e. comparari possit ferinis cum viribus*, *ita ut fallat illas*. Ceterum versu 73. *si* particula pariter atque Graecorum εἰ

posita, ut apud Horat. Epist. I., 7., 39. Propert. I., 5., 7. Atque adeo regimine verbi grammatico caret illa Cornelio Nep. Hannib. c. 8. *accessit Africam — si forte posset.* Exempla coacervata habes a Vechnero Hell. p. 424. ed. Heusing.

v. 75. Incipit agere de pinnatis conficiendis, vel formidine, quam plenius describit Nemes. v. 303. seq. et conf. Rittershus. ad Oppian. Cyn. I., 387. *Sunt quibus est* lenis modus praecipiendi.] Wernsd. *Formidinem*, funem capiendis feris expansum, descripsit Virgilius Aen. XII., 747. sqq. Pendebant ex illa plumae versicolores variis ab avibus, nec non tintinnabula, quibus imprudentes bestiae, cervi maxime, deciperentur. Vide Vossium ad Virg. Georg. III. p. 623. Docet igitur nunc Gratius, ex quarum avium pennis fiat formido. *Plumae instrumentum operis fuit.* Notamus, Burmannum sequuti, genus attractionis, quo, metri videlicet ac structurae necessitate, alius ponitur verbi numerus, atque est in substantivo. *Sanguis erat lacrimae*, inquit Ovidius Am. I., 6., 60. *Sed tamen ambobus versae solatia formae Magna nepos fuerat* Metam. IV., 604.

v. 76. *facultas.]* Adiumentum venationis.

v. 77. *Vellera* poetis, quaecunque mollitie et colore similia lanae sunt. Itaque plumae vulsae, quandoquidem vellus mollissimum et tenuissimum genus lanae, ut ap. Ovid. Met. VI. v. 21. Restringit sententiam *tantum*, prouti versu 50.

v. 78. *Coruscant*, huc illuc vibrant. Satis esse praesidii, ait, in pinnato, si ex vulturis et cygni pinnis coniunctum sit, quia cygni plumae clare longeque conspiciuntur ob candorem, vultures longe spargunt tetrum odorem, eoque feras turbant. Idem significat versu 81. *clara* et *pinguis* pluma.] Wernsd. Poterat abstinere sua

correctione Heinsius. *Et* initio versus, quemadmodum versu 22., non sine vi aliqua est positum.

v. 79. Nullo pacto adversantur sibi invicem sententiae. Itaque missum facimus *at* particulam, natam illam ex corruptela codicis Th.; *ab* bona fide repone. Itaque sententia est haec: Ingratissimum reddunt odorem pennae vulturis et silvestres feras longe arcent; plumas igitur cygni et vulturis alternatim iunge. Apte contulit Titius Aelianum de anim. I., 45.: *γυπῶν πτερὰ εἰ θυμιάσαι τις, ὡς ἀκούω, καὶ ἐκ φωλεῶν καὶ ἐξ ἰλεῶν τοὺς ὄφεις προάξει ῥᾷστα.* Apte etiam huc retulit Ulitius Senecam de ira lib. II. c. 12.: *Acerrimas feras umbra, vox et odor insolitus exagitat.* Lucanum lib. IV., 437.

— dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratae metuentes aëra pennae.

Oppianum Cyn. IV., 65.—68.

— ἐπεὶ μάλα θήρεσι πᾶσιν
ὀξύταται ῥινῶν ὀσφρήσεις· εἰ δὲ φράσαιντο
ἢ σταλίκων ὀδμὴν ἢ πεπταμένοιο λίνοιο,
ἔμπαλιν ἰθύνουσιν —

v. 81. *quam clara et pinguis.* Pinguem appellat, quia odorem spargit; *sub armis*, pendebant enim plumae ex linea deorsum. Porro nihil opus est correctione Wernsdorfi: *mollis tractu* pro *tactu.* Iubet igitur talem facere formidinem, quae facilis et obsequiosa tactu sit, nec densam nimis et compactam, pluribus plumis una coniunctis et nexis. Deinceps

versu 83. et 84. nimium quantum textum esse corruptum, pridem cognovimus. Nam quum vulgatis in exemplaribus scriptura: *ne reprensa*, etsi longinqua auctoritate stabilita, ambiguam et incertam reddat sententiam, non omnino negligenda sunt, quae protulit Frid. Iacob. Annal. phil. et paed. ab Iahno editis 1826. Tom. II. Vol. I.,

p. 132. Sed quum codicem Thuaneum mendosum, Gratium vero in rebus istis describendis valde obscurum esse, alibi quoque declaratum sit, abstinere maluimus emendatione. MS. Thuan. praebet *irreprensa*, quod reponendum paene videtur esse, si forte possit inde aliquid effici, quod veri sit simillimum. Apud Ovidium Met. lib. III. v. 340. *irreprehensa responsa* sunt certa, quibus eventus constat, irreprehensibilia. Iam si *implicet* pariter atque *coarguat* optandi vim habeant, vide, ne exoriatur sententia haecce: *Suis pinnis irreprehensibilis (pennarum nexu apto) implicet linea properantem feram.* Sed istarum rerum iudicium relinquens venatoribus ipsis, addit: *quae forte mendosa sunt, ipso usu coarguat vel prodat linea.*

v. 85. *metus* idem ac *formido*, ut Nemes. v. 304.: hic igitur metus, qui est a pinnato, maxime comparatus est ad cervos terrendos, qui sunt meticulosissimi. *Valuit* perf. pro praes. ut saepe noster.] Wernsd.

v. 86. Potest terror pinnati augeri, ut aliae etiam belluae inde metuant, si pinnae *fucentur*, colorentur, sandyce Libyco, herba vel flore, vel alio pigmento rubri coloris, quem pleraeque ferae perhorrescunt. De sandyce vide Turneb. Advers. XV., 20.] Wernsd. Adde Salmasium ad Solin. p. 810. Solum Gratium mediam huius vocis syllabam corripere e Casaubono ad Aurel. 29. notavit Barthius. Produxit eam Propert. II., 25. v. 45.

v. 87. *Linea arma*, plumae a linea vel fune pendentes, *lucent*, longe cernuntur et terrent ob rubrum colorem, *ex positis anconibus* h. e. e furcis sive varis, quae positae sunt ad sustinendos funes et formidines. Sic Lucan. IV., 439.: *Aut dum dispositis attollat retia varis Venator.]* Wernsd. *Lintea* restituendum ex cod. Th. Deinde *expositis* eadem auctoritate firmatum est. Eiusmodi furcillas exibant bina in cornua. Itaque propter similitudinem

quondam *cervi* alibi dictae sunt. Cfr. Servium ad Virg. Ecl. II., 29. Praeterea vocantur *valli* et *vari*. Virg. Georg. I., 264. Apud Xenophontem de ven. cp. 2. dicuntur *σχάλιδες*.

v. 89. Est etiam, inquit, non minimus usus *laqueis curracibus*, qui pedi ferae inhaerentes currentem sequuntur.] Wsd. *Nam* particula solutiore vinculo sententiae congruit. Ad superiora eam referri patet: *Aucto*, inquit, *formidinum apparatu non fit facile*, *ut bellua non decipiatur*, *nam etc.* Curraces autem laquei possunt esse, qui pedi ferae inhaerentes currentem sequuntur, vel qui terrae alligati huc illuc extenduntur et currere per campum videntur. Sed falso Barthius interpretatur per *celeres*. Nam prorsus aliena sunt verba Manilii Astron. V., 186.: *currentesque feras pedicarum compede nectunt.*

v. 90. *Cervino iussere magis]*. Odore enim cervino alliciuntur cervi. *Magis*, potius quam alio; ita verissime Burmannus. Similiter Nemes. v. 214. Idem ille confert Claudian. de Laud. Stil. v. 209., Donatum ad Terent. Adelph. IV., 3., 15., Val. Flacc. I., 74. III., 271.

v. 91. Obscurior venationis apparatus. Fraudulenta ferae species artificiose facta laqueos insidiosos videtur obtexisse feramque allexisse similis belluae habitu.

v. 92. Quid dicam de illo genere pedicarum, quae *dentatae*, hamis, quasi dentibus, munitae, et *inclusae iligno robori*, vel tigillo gravi, ubi pede ferae tanguntur, inhaerent illi, et currentem gravitate annexi roboris retardant.] Wernsd. Sive *robur ilignum truncum* significat *maiorem*, quem fera pedicis alligatum post se trahebat, sive, quod praeplacet, *arborem*, cui affixae pedicae fuerunt; tantum quidem apertum est, saepe venatorem potuisse bestiam hisce vinculis implicitam agitatamque ab aliis praeter opinionem capere. Versu autem 92. *quid* auget senten-

tiam, ut alibi *quid quod.* Mox v. 93. *dissimulantibus armis* accipiendum cum Burmanno pro *occultis. Dissimulantem vultum* pro *dissimulato* habet Val. Max. III., 4. Denique sapienter intellexit Wernsdorfius *quam* — *saepe* MSti auctoritate reponendum esse.

v. 95. O felix ille, quem sua industria ita produxit et clarum fecit, ut primus tantarum rerum auctor haberetur. In iis, quae sequuntur, *Deus ille*, *an proxima* cet. imitatur, ut alias saepe, Lucretium V., 8.] Wernsd.

v. 96. *Condidit* bona fide aio a Gratio profectum. In tanta enim librorum ambiguitate, duobus praesertim vetustissimis exemplaribus G. et B. *Condiditavit* exhibentibus, quis non glossema putet illud *condidit?* Tum futile est, quod *divis* pro *divos* scripsit Heinsius, Turnebusque adeo *divo* correxit. Vindicavit vulgatam scripturam Burm. ad Ovid. Art. I., 139. Invocationem fere eandem habes Virgilio Georg. IV., 315.

v. 99. Non sine verecundia Dianae sanctum nomen compellat. *Fas* enim Latinorum non de humana lege, sed de ea dicitur, quae ex rerum divinarum sanctitate proficiscitur monstrante Servio ad Virg. Ge. I. v. 269.

Iam retium inventor nominatur a Gratio Dercylus, senex Arcadius, propter virtutem valde Diis amatus. Ille quis fuerit, multum doctis est ab hominibus quaesitum. In qua re tot fluctuantibus interpretum iudiciis sat est monstrasse, quem non significaverit poeta. Cum enim vulgatis abstineret Gratius malletque, singularia quae essent, reconditioraque circumspicere, factum est, ut nomina induceret vel minus nota vel prorsus obscura. Ac Dercylum quidem Burmannus putat Dercyllidam esse, Xenophonte ac Thucydide auctoribus bello insignem Peloponnesio. Attamen quamquam usu patronymicorum nominum pro primitivis non abstinuerunt monstrante scholiasta ad Pindar. Nem. IV., 31., Eustathio ad Dionys. Perieg.

Perieg. 251., Koenio ad Greg. Cor. p. 290., Matthiaeo Gr. gr. §. 429., 3.; nihil hac re probatur, nisi Dercylon nomen apud Graecos fuisse aliquando, de quo ecquis dubitavit unquam, qui Aristophanis Vesparum legerit v. 78. Accedit quod tempora mirabiliter discrepant. Sed Vossius de historic. Gr. lib. III. p. 354. Dercyli cuiusdam scripta recensuit, passim a Plutarcho, Athenaeo, aliis laudati. Eundem Wernsdorfius (Excurs. II.) suspicatus significari, quasi scriptorem aliquem, si Dis placet, excitasset Gratius poeta. Eiusdem Wernsdorfi sententia, pridem a Casparo prolata Barthio, itidem labefactatur. Namque Dercylum eundem atque Aristaeum esse uterque contendit. Apud Virgilium tamen Georg. IV., 283. *Arcadius* ille *magister* propter *curam apum* dicitur, quamquam ab Nonno Dionys. V. p. 154. vocatur inventor eius artis:

καὶ δολίης δεδάηκε πολύπλοκα δίκτυα τέχνης
καὶ σταλίκων τύπον ὀρθόν.

At enim vero Oppianus Cyn. II., 4. Hippolytum appellat retium auctorem. Quocirca, cum tanta eadem in re apud veteres discrepantia sit, nomen esto Gratio proprium ac singulare. Potest illud ab *ὕλη* et *δέρκεσθαι* profectum esse. Versu 100. scite revocavit *dat* Gronovius: neque tamen spernendum Turnebi *scit.* Dercylus igitur in Maenalo monte primum nutritus et Amyclis Lacedaemonum urbe vetustissima educatus est. Vid. Ovid. Met. VIII., 314. Ergo *altor* cum Turnebo contra MS. est legendum. Cfr. *Ida altrix* Metamorph. IV., 293.

v. 102. *Non assuetas*, quae retia illa nunquam ante viderant.] Wernsd.

v. 103. 104. Prima artis et humanitatis inventa ob vitae probitatem mortalibus ab Diis tribuuntur. Ab auctore libri Xenophontei venatio primis est hominibus data *διὰ δικαιότητα.*

v. 105. Nihil absurdius Ulitii sententia: *primis in annis* idem esse ac *primis illis temporibus.* De prima iuventute bene accepit Iohnsonus. *in armis*, quod est vetustis in exemplaribus saepe librariorum errore inductum, vid. Burm. ad Ovid. Met. VIII., 313.

v. 106. Sumpta locutio ab auctore, cuius nomen *inscribitur* operi. Ovid. Met. XV., 128. *inscripsere Deos sceleri;* ibid. X., 198. *mea dextera leto inscribenda tuo est.*

v. 108. Forma hastarum venaticarum paullatim immutata. Abstinere placet priorum interpretum recensione, quorum maximam partem absurdae explicationes. Ac persuasum est nobis, ne potuisse quidem poetam planum et perspicuum esse in rebus, quae artis et usus propria essent. Haec igitur habeto: primum valido mucrone instruxit hastam (v. 108.), quae ne nimia vi in bestiae corpus intraret, moras post cuspidem circa hastile extantes adiecit, quibus onus ferae irruentis exciperent, ne totum subiret venabulum. Moras explicat Wernsdorfius alas sive orbes ferreos, qui morantur venabulum. Xenophon et Pollux *κνώδοντας*, Hesychius *προβολάς* vocat, alii et *πτέρυγας* dicunt, Sil. Ital. I., 515. *qua capuli statuere morae.* Tum vero, ut addam Wernsdorfi verba, hastilia adstricta vel aptata sunt *verutis dentibus*, i. e. mucronibus longis et acutis, quasi verua additaeque *furcae geminae*, quibus non moram solum, sed etiam duplex inferre vulnus exceptae ferae possent. (vv. 110. 111.) Denique fuere, qui massam vel orbem, qui loco morae est et totum circumit hastile, pluribus circumdarent *ensibus* minoribus, ne massa illa, alias iners, *cessaret* plura inferre vulnera. Pauca libet superaddere de singulis. Versu 108. editio G. quod praebet *aciem*, natum ex glossemate. Vers. 109. *pronum vulnus* Ulitius putabat *feram* significare *prono pectore in telum irruentem*, reprehensus ab Iohnsono. Burmannus pro *venatore prono* accepit. Neuter, quod verum est,

lit. *Vulnus* ipsum *venabulum* significat, ut ter apud Vir-
num Aen. II., 529. VII., 533. X., 140. Ita intelli-
idum telum, quando simul vulnus ab eo factum com-
moratur, Heynio notante ad Virg. l. l. Recurrit ista
abuli significatio versu 123.: *Neu leve vulnus eat*, ubi
te Iohnsonus intellexit telum vulnificum. v. 110. Suspi-
astricta a Gratio profectum. *subiere furcas* pro *in fur-*
mutata sunt accepit Barthius. At enim ita dicendum
sset: *furcae subiere hastilia*, quemadmodum *furcas*
iere columnae legitur Ovidio Met. VIII., 701. Pro-
mus Burmanni explicationem: *ligna venabuli (hastilia)*
iere furcas geminas, id est fuere sub furcis. Itaque *fur-*
superimpositae venabulis sunt. Geminae furcae ut: *ge-*
lis securibus v. 66.

v. 112. *clauserunt.* Idem est, ac si dixisset: totis
userunt orbibus enses. *Ensibus* tertius casus est.] Ulit.
te ipsa obscuriora protulit Ulitius. Verius Burmannus
putat, sed incredibili idem verbositate. Post cuspidem,
atius ait, addiderunt circumpositum hastili orbem ligne-
ı vel ferreum, et multis minoribus cuspidibus, quos
es vocat, muniverunt, ita ut plura simul vulnera infli-
entur, ne massa illa venabuli, alias *iners*, *cessaret* et
raretur caedem. Itaque *claudere* est *in fine addere.* cfr.
92.

v. 114. Male interpungebatur olim post *ibidem.*
te distinxit verba Burmannus. *In eadem re*, inquit,
s et nimium periculosum est. Itaque *ibidem* voce est
endum. Explicatum habes igitur Ciceronem or. pr.
ec. c. 9.: *Laesit in eo Caecinam, sublevavit ibidem.*

v. 116. *festinant usibus omnes.* Discedunt, abeunt a
to usu.] Titius.

v. 117. Enumerantur varia venabulorum genera.
tos immensos vocat hastas Macedonicas, quod crassae

graves et praelongae erant. Livius XLIV., 41. *immobilem longitudine et gravitate* dicit hastam Macedonicam. Ipsi Macedones *sarissam* appellabant.] Wernsd. Omnino venationis amantissimi fuerunt Macedones, apud quos in coena accumbere nemini licitum erat, quin aprum extra retia interemisset, auctore Athenaeo I. p. 18. A.

v. 118. *Dentes* sunt cuspides, *spicare*, i. e. acuminare in modum spicae, infra est v. 484. et Virgil. Georg. I., 192.; *spiculare* Plinius habet XI., 2.

v. 119. Contrario vitio laborat hasta Lucana, cuius grande spiculum tenui virgae praefixum onerat hastile, ut minus expedite feratur. *Pernix Lucania*, quod Lucani venatu celebres, ut *pernicis uxor Apuli* Horat. Epod. II., 42.] Wernsd. Statius Theb. VIII., 532.

Qualis setigeram Lucana cuspide frontem
Strictus aper . . .

Confer Iustinum lib. XXIII., 1.] Ulit. in Additam. Adde Horat. Sat. II., 9., 6.

v. 121. Veram verborum structuram hanc: *modi salubres* (id est *temperata mediocritas*) *finxere melius omnia tela* constituerunt Ulitius, Iohnsonus. Perperam a Burmanno verba *salubris modi* pro genitivo accepta.

v. 122. *Quocirca et*, quod ad iacula attinet, perpendere ea et librare manu solemus, ut, quae ad usum sunt habilia, experiamur. *Iaculis* dativum accipe pro *in iaculis*, vel, ut iacula habeamus. Vid. mox vers. 127.] Wernsd.

v. 124. Ipsa Diana, venationis praeses, comites suas, Nymphas, non alio nisi modico et habili telo instruit ad venatum, arcu et pharetra. Ne igitur relinquite vel spernite ea tela, qui scitis, magnas res olim volucribus sagittis effectas esse, Pythona ab Apolline, Stymphalidas

ab Hercule sagittis interfectas. Rectissime Iohnsonus duce MSto posuit *sagittae.]* Wernsd.; De Lyciorum studio venationis et pharetris confer Statium Theb. VI., 645. Virg. Aen. VII. extr. Versus 126. sententia latius patet quam ut Wernsdorfi interpretamentum amplectar. *Magnum opus* omnino de venatu ut v. 61. accipiendum.

v. 127. *Disce* omnem rationem in delectu hastilium observandam, ut valida deligas.] Wernsd. Thracia uberrima lignis, quibus ad conficienda venabula utebantur. Thraciarum sagittarum mentio fit Virgilio Aen. V., 311. VIII., 725. Scythicas commemorat Ovidius Met. X., 588. *Cornus* aptissima hastis. Hinc pro ipsa hasta Sil. Ital. II., 124. XIX., 442., *corneus arcus* est ap. Ovid. Met. I., 697.

v. 129. Construe: *umbrosae myrtus per Veneris littora.* Dubitat Burmannus myrtum quarta declinatione dici, quamquam poterat melius discere e Virgil. Georg. II., 64. Praeterea verba coniungit hoc modo: *umbrosae Veneris per l. m.*, et umbrosam Venerem explicat de templo aliquo Veneris arboribus obumbrato. Quis tam pinguem loquendi morem obtrudat Gratio? *Umbrosae myrtus* significant lucum myrteum; *littora Veneris* non sunt nisi Cypri insulae littora Veneri antiquitus consecrata. Ex myrto autem hastas et iacula faciebant. Virg. Georg. II., 447.:

At myrtus validis hastilibus et bona bello
Cornus —

Aen. III., 23.:

— *et densis hastilibus horrida myrtus.*

Myrtum fuisse Veneri sacram vel pueri sciunt.

v. 130. *Taxique.]* Silius quoque taxum pro iaculo posuit lib. XIII.: *auras secat Itala taxus.]* Ulit. in Add.

v. 130. *Genistae*, fruticis quidem genus, nonnullis tamen in locis dicuntur instar arboris excrescere, ut in

regione Altini,' oppidi in Venetis, unde Altinates hastilibus aptas laudat noster. V. Plinium XXIV., 9., 40.] Wernsd.

v. 131. Ampla coniectandi copia patet hisce verbis:

— *operae lutoser agrestis*
Termes.

Facile tamen possumus aliorum correctiones praeterire, quas notavimus in scripturarum diversarum enumeratione. Inter eas Iohnsoni videtur opinio aliquid ponderis habere, qui *lotaster* scripsit, prout *pinaster* est atque *oleaster* formatum. Plinius refert XIII., 17. et XVI., 30. in Italia *loton* arborem gigni eiusque esse longissimos ramos validissimosque. Verum in tantilla quidem fide librorum quis tandem pro certo venditet, quod est incertissimum? Accedit, quod *operae* vox ulla vix potest structura sustentari. Vide, num scripserit poeta et distinxerit ita:

Et magis incomptus superat lotaster, agrestis
Termes

hac ratione: *magis longitudine inter relicuas arbores lotaster eminet.* Itaque lotos illa,' qualiscunque est, quoniam myrrhae congener est, ut Theophrastus significat apud Salmasium ad Solin. p. 729. a, B: *φύεται δὲ καθάπερ τὰ μύρτα,* turis etiam arboris degener videtur fuisse. Nam ex eadem fere arbore tus nascebatur et myrrha. Hinc est quod a Sabaeis ait arboris eius stirpem primam in Italiam traductam esse.

v. 132. 133. *Turea virga* defertur ex Arabia. *Saba* oppidum erat et regio Arabiae, unde uberrimus turis proventus in Europam. Posita erat ad ortus solis aestivi rupibus undique invia. V. Plin. N. H. XII., 14. et Arrianum apud Salmas. ad Solin. l. l. Sabae autem turiferae mentio fit apud Esaiam proph. c. 60. Pariter *Eoas Arabum domos* nominat Virgil. Georg. II., 115., ubi locuples est Vossius. cfr. Ovid. Met. X., 480. *Mater turis* a Plinio N. H. l. l. *terete et enodi fruticare trunco* dicitur eoque hastilibus apta est.

v. 134.—137. Arbor illa non diligentem curam vel tractationem admittit, qua ad usum decoremque suum conformetur, sed libero naturae arbitrio ad formam iustam extenditur. Contra quae apud nos passim nascuntur arbores, multo labore fingendae sunt. Pessime *sint* pro *sunt* legendum suadet Burmannus, nimium quantum loquax in rebus tenuissimis. *Errare* verbum de plantis passim crescentibus videbis apud Maronem Ecl. IV. v. 19.

v. 139. Virgilii optimi codices constanter praebent *genestae* ut Georg. II. v. 12. 434. *lentas* appellat Virgilius id est *flexiles*. Descripsit id genus fruticis, cuius virgultae et contumacissimae sunt et in ipsa stirpe curvatae, Plinius N. H. XXI., 9. 12. XXIV., 9. conf. Burm. Sed postquam Burmannus et relicui fuse explicarunt, quod vel tironibus notum est, ramos *ad aera* posse exire, adeo fefellit eum opinio, ut *aer* vocabulum arboris cacumen significare autumaret.

v. 141. *Luxuriam* dicit surculorum exuberantem proventum ut Columell. IV., 21. *vitis luxuriosa*, Virg. Georg. I., 191. *luxuria foliorum*.

v. 142. Non omnino abs re est profecto, quod Wernsdorfius legit *generosam se dederit*. Quod probarem, nisi vulgatae scripturae attractionem confirmari constaret Virgilio Aen. VIII., 465. *se matutinus agebat*. Notissimum est autem, quod tironum caussa de pronuntiatione verborum *generosa stirpibus* moneo, si vox incipiens a SC. SP. SQ. ST. Z sequitur ultimam vocalem brevem, hanc produxisse optimos poetas, ut *date tela*, *scandite muros* apud Virgilium et centies alibi.

v. 144. *Stringe notas circum*. Aliena Virgilii sunt verba Georg. II. v. 368. *stringe comas*, quae perperam in textum Burmannus suasit inducenda. Scilicet comae arboris nullaedum assunt. Neque Iohnsoni placet *nothas*,

Difficultas inest verbis quaedem ab sententia: *Streife ringsum die Mahle ab.* At enim strictis surculis notae efficiuntur. Itaque hoc ait, si quid video, *stringendo notas effice.* Recurrendum ad Graecos, qui verbis activis addunt saepenumero accusativum eiusmodi, cui non proximus actionis effectus, sed remotior insit. Veluti, quod Euripides inquit Suppl. v. 1211. *τιτρώσκειν φόνον*, explicandum ita: *φόνον ποιεῖν τῷ τιτρώσκειν*, docente Matthiaeo Gr. gr. p. 749. Adde Musgravium ad Sophocl. Antig. v. 961. Herm. Quod genus loquendi non prorsus Latinorum a poetis est alienum. Ad manus est Virgilius Georgicis I., 309. *torquentem verbera.* Ceterum *gemmantes versus*, h. e. ordines ramorum exeuntium geminantes, plane sunt iidem atque apud Virgil. Cul. v. 69. et Georg. II., 74. Hos iubet *exigere*, facere ut exacte crescant.

v. 147. Ubi hastilia in longitudinem quinque pedum surrexerint, caede ea *plena manu*, i. e. valide. Ita Burm. et Wernsd. Non debebat tamen a Burmanno Tibullus comparari lib. I. Eleg. 5. v. 67. ubi *plena manus*, pariter atque eiusd. lib. Eleg. 9. v. 52. *auri plenam* significat. Illud igitur tempus caedendi eligendum, quo auctumnus *advertitur*, de quo Horatius inquit Carm. III., 23. v. 8. *pomifero grave tempus anno.* Itaque *annus* pro *tempore anni* accipiendus neque opus est, ut cum Iohnsono *averterit* scribatur loco vulgatae scripturae.

v. 150. Ad eam partem venationis pergit, qua mihi persuasi nihil in toto carmine esse praeclarius. Est de canibus illa venaticis, quam materiam, etsi diverse, Oppianus tractavit cum Xenophonte de ven., Plinio N. H. VIII. c. 11. sqq. Virgilius autem Georg. III. v. 404.—413. maluit praetereundo attingere ex hoc genere ea, quae loci consiliique ipsius essent. Illud vero, quod nonnullorum de Gratio leve ac re quidem vera compendiarium video

iudicium esse, Virgilii haud spernendum esse imitatorem illum, etsi multifariam hac in parte carminis videatur sustentari posse, aliquo tamen modo restringetur ab iis, quibus Virgilius pariter atque Gratius est familiaris. Namque illud, mehercule, praeclarae artis est, quam ut propriam quandam suam sibi vindicavit Gratius, quoniam excogitare nova in hoc genere non licuit, ita aliorum exemplis accommodare orationem, ut verba similia, ingenium tamen et colorem utrobique facile diversum agnoscas. Atque ordo quidem per totam hanc partem tripartitus est. Usque ad versum enim 163. agit de generibus canum, tum ad v. 342. formam describit, qualis debeat canis venatorii esse, denique de morborum generibus et medela exponit.

Versibus 150. 151. lapsi sunt, opinor, quibus tautologia visa est verbis inesse: *prima illa canum*, *non ulla per artes Cura prior.* Et tamen, quod Burmanno placuit: *minima illa*, i. e. *quae hactenus dicta sunt*, si pertinet ad *exiguos orbes* (v. 150.), idem genus tautologiae efficit. Sed verba *prima illa canum* ad ipsum carmen refer, quasi dixisset: *primo loco canam de cura canum*, tum postrema verba ipsam venationis exercitationem tangunt ita quidem: *neque re vera ulla cura rebus in venaticis prior est. Orbes lustrare* locutio sumpta ab aurigis in circo visa est Barthio, ut apud Horat. Art. Poet. v. 132. Sed, quamvis proprie quidem de sollemni circuitione *lustrare* dicant, nos putamus nil significari aliud quam *magnis ambagibus circumire.* cfr. v. 221. Virgil. Aen. X., 224. Praeterea totos hos versus compara cum Georg. III., 404.: *nec Tibi cura canum fuerit postrema.*

v. 152. *Sive* feras ferociores *nudo Marte*, solis viribus, cursu, impetu, iaculis persequaris, sive etiam *ex arte*, ingenio, dolis et insidiis adhibitis bellum illud ferinum geras.] W e r n s d. *ex* praepositionem nota saepe ratio-

nem indicare, qua fiat aliquid. Neminem fugiunt locutiones *ex ordine*, *ex aequo*, similes.. Interdum illa ratio interior ac reconditior est, ut: *ex ea parte est indagatio* Cic. off. I., 5., *laborare ex dolore* Terent. Andr. I., 5., 35., alibi.

v. 155. *Medus* canis nullius artis capax est, sed bellicosus et pervicax in hostes. Tales etiam Celtici vel Gallici, qnamquam *diversi* orbis. *Magna gloria* bellicosas designat, nam est victoriae. V. v. 228.] Wernsd. Pariter *diversi Aesaris* Ovid. Met. XV. v. 23. et *diverso orbe* ibid. II. v. 323. de terra longe et contrario situ remota.

v. 157. Contrariae virtutis sunt Geloni. hi *negant arma*, i. e. nolunt pugnare, ut *negare comitem* Ovid. Art. I., 127., vel *abnegare* Horat. Carm. I., 35. v. 22.] Wernsd.

v. 158. Persicus canis sagacitate aeque ac fortitudine bellica praestat. Non est quod vulgata cum Heinsio mutetur. Quin etiam, cum *utrumque* vox duplex genus *innatae virtutis* significet, absonum foret *in utrumque paratus*.

v. 159. De Serum patria, cuius ferrum a Plinio XXXIX., 14. pannique laudantur ab Horatio Ep. VIII., 15., ubi sita fuerit, ambigit Vossius ad Virg. Georg. II. v. 121. Seras Indosque coniunctos habes apud Horat. Carm. I., 12. v. 56. Eorum venationem attigit idem Horatius Carm. I., 29. v. 9.

v. 161. Etsi Hyrcanae genti canum tanta inest vehementia, quantam fuisse diximus Serum et Lycaonum, non tamen hac contenta est, sed *ultro*, sponte sua, e silvis suis petunt vel accipiunt feriora semina et tigribus miscentur. Non de Hyrcanis, sed Indis hoc memorat Arist. de animal. VIII., 33. et Plin. VIII., 40., 61. Sed Hyrcania Indis vicina, et tigribus abundat.] Wernsd. Ergo nihili aestumo Iohnsoni emendationem *nata* pro *tanta*, tum

propter pravitatem locutionis, tum propter conturbatam sententiarum convenientiam. *petiere utero* Burmannus cur coniecerit, non video. *Ultra* quod reponendum putavit Barthius, parum erat memor ponderis verborum ab sententiarum oppositione: non *naturae* tanta feritas satis est, sed augere eam *ultro* student coitu cum tigribus. cfr. etiam v. 165.

v. 165. *Mansuetis in stabulis* h. mansuetarum pecudum. *Ferus adulter* tigris. Claud. Cons. Mal. 304. *leaenae nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.]* Wernsd. Ratione verborum et aliorum auctoritate permotus, tantum liquere affirmo aut *gravi succedere tigri*, aut *gravem succ. tigrim* esse reponendum. Praeplacet prius. *Succedere* mea quidem opinione est: *sequi coitus caussa.* Illud autem *gravi* admodum conveniens est verbis *maiore de sanguine*, nam *gravem* dixit maiorem ob ferocitatem, fortitudinem, vehementiam. Burmannus quod interpretatur *saturam cibo*, ineptum profecto est.

v. 167. Sed, quae inde nascetur virtus catulorum praefervida et improba, ea impellet, ut pecudes, tamquam in silvis et venatu, invadant. *Aulam* dicebant animalium domesticorum receptacula circumsepta, ubi mansiones habebant suas. V. Horat. Epist. I., 2. v. 65. et Servium ad Aen. IX. v. 60.

v. 169. 170. Quamcunque domi culpam sustinuerat pecudum caede, ea purgabit se in venatione. Itaque hac virtute bellica minuetur quasi culpa, quam trucidando pecore domestico admisit. De locutione *crimina fecit* cfr. Propert. IV., 4., 43. et Burm. ad Ovid. Art. II., 633. *Excuset* scribendum esse coniecit Gronovius Obss. II., 13. Sed probabilior fortiorque vulgata scriptura est. *Excusando* enim obumbratur crimen, *excutiendo* totum deletur et aboletur. Cui loquendi generi nihil non alienum aptare studuerunt Ulitius cum Burmanno. Alienissimus Silius est

Italicus II., 592. Similior Cicero pr. dom. c. 28.: *Illa calamitas, si ita est appellanda, excussit hoc genus totum maledicti.*

v. 171. Nihil potest planius esse vulgata scriptura, cuius ordo hic est: *Umber, quos hostes reperit, idem adversos fugit;* nec inutilius quicquam Barthii correctione *qui.* Namque *idem* pronomine enuntiationes saepe diversae cum eodem subiecto consociantur, ut apud Cic. Brut. cp. 79. Ovid. Fast. IV., 101. Virg. Aen. III., 158. Quamquam quid rei tantillae circumspicis exempla? Namque omnino hoc vult poeta: *Praestabilior est Umber naris sagacitate, quam fortitudine, nam quos indagavit (reperit) per sollertiam naris, idem fugit simul atque adversos* i. e. *coram habet hostes.*

v. 174. *Morini* extremi Galliae, unde brevissimus in Britanniam traiectus, de quibus Caesar B. Gall. IV., 21. *dubius pontus* instabilis et perpetuo aestuans, ut *dubia Syrtis* Lucan. I., 686. *freta veneris* pro *ad freta.* Vid. Virgil. Ecl. I., 66. Aen. I., 2.] Wernsd. Addimus Aen. II., 743. Conferendus est Cicero Ep. ad Att. VII., 3. *Dubius p.* non est alius ac *periculosus*, quamquam aliter visum Wernsdorfio, qui instabilem et perpetuo aestuantem intellexit.

v. 176. O quantam mercedem, quantum emolumentum capere e cane Britannico, supra impendia eius advehendi et alendi, potes! Etsi, quod ad speciem et decorem, qui mentiri et fallere potest, attinet, non videris protinus impendii curaeque tuae pretium accepisse; (nam hoc unum est, quod deesse iis catulis videtur,) At magnum cet. *magnum opus*, res difficilis, pugna periculi plena, ut supra v. 61. Contra *leve opus* v. 199. venationem leporis vocat.] Wernsd. Rectissime versu 179. *at* reposuit Barthius adversantibus vetustis exemplaribus omnibus. Vulgatam tamen servare se ait Ulitius mentemque hanc

esse Gratii: *cum opus ad magnum vehit*, pravitatem inducens ille barbarae et fictae latinitatis.

v. 181. *Molossi* ex Epirotica stirpe seminati, teste Aristotele hist. anim. IX., 1. Quibus cum insignis esset corporis magnitudo, tum venationi inserviebant, tum pecudum imbecillitatem feris a bestiis defendebant. Itaque *amicam vim pastoribus* vocat illos Horatius Epod. VI., 6.

v. 182. Athamania Epiri pars Aetoliae proxima. Plin. N. H. IV., 2.

v. 183. Prorsus incognitum est Acyri nomen. Nolumus autem tantum tribuere Plinio N. H. IV., 2., ut, quam non nisi praetereundo nominat, *Acytum* urbem sat ignobilem, in textum cum Barthio et Gesnero inducamus. Non abs re est, quod suspicatus est Ulitius *Taygetus*, qui mons erat in Peloponneso, cuius canes apud Virgilium Georg. III., 44. invenies celebratos. Relicuorum coniecturae dubiae omnes.

v. 184.—189. Non inepte putavit Iohnsonus, poetam attigisse Thucydidem lib. III. extr., ubi Ambraciotas refert Demosthene auctore ab Acarnanibus captos insidiis esse. De quorum in iaculis mittendis dexteritate videndus Freinshem. ad Curt. III., 2. §. 16. Marklandus ad Stat. Silv. IV., 55. parum sollerter reposuit *clamore;* ipsis auribus canino latratui assuetis poscentibus *clangore.* Eadem ratione κλαγγήν apud Xenophontem discernimus ab ὑλαγμῷ. *Rumpere vocem*, pariter atque Ovidio Met. X., 147., Graecorum est ῥήσσειν φωνήν. Quod Scaliger coniecit v. 188. *metu* non est poeticum. V. 189. *furor* est in MS. Placuit *favor* Gronovio Obss. II., 13. Inscite comparavit Gratii v. 230. Hoc loco vide, quid *metui* contrarium sit. *Furor*, opinor. Quamquam apud Lucanum II., 447. de scriptura *furor* addubito, eandem tamen intactam relinquo Silii Italici VII. versu 497.

v. 190. Ne tamen existimes, plane vanum esse genus Aetolorum, mira iis inest celeritas investigandi, ut nullus facile labor sit, quo victi desistant. *Concedere labori* ut *concedere somno* Calpurn. Eclog. IX. Nemes. II., 43.] Wernsd.

v. 193. Quia nullum est genus omni ex parte perfectum, iccirco suadeo, ut diversi generis canes inter se misceantur, qui a patre et matre mixtas habeant diversas dotes. *Miscebo* vel poetae come praeceptum potest significare, vel ad sequentia spectat, ut v. 23. *arma dabo.* Tum verbis *variis miscebo gentibus usum* nota hypallage inest, sive verbi constructionis inversio, metri vinculis plerumque flagitata. Ex quo genere est: *Chio nota si commista Falerni est* Horat. Serm. I., 10., 24., *dare classibus austros* Virg. Aen. III., 61., *coelum stellis aptum* Aen. XI., 202. Cfr. Voss. inst. or. lib. IV. c. XI. sect. 12.

v. 194. *Quondam* saepissime est *aliquando*, *interdum*, ut apud Ovid. Fast. II., 799. Hor. Carm. II., 10. v. 18.

v. 194. Umbrica ex matre agilitas nascetur Gallo. Canis Umbrici vividiorem naturam commemorat Virg. Aen. XII., 753.

v. 196. Sensit quidem Heinsius, quantum langueret *tantum* vox. At, quod ipse induxit, *incautum* vitiose cumulat orationem. Correctio in promptu est: *et vanae natum Calydonia linguae.* Nam *naturale*, inquit, *matris vitium patris Molossi consortio emendabitur.* *Vitium exire* videtur a gladiatoribus sumptum, quos plagam dicunt *exire.* Videndus Virgilius Aen. V., 438. XI., 750. Lucret. V., 1329. leniusque dictum, quam v. 171. *excutiet.* Sed tum multa absurditatis exempla in hunc locum a Burmanno congesta, tum in eo etiam perstringendus est, quod adeo ne aspiravit quidem ad honestam poetae mentem, ut Aetolum opinaretur garrulitatem hic a poeta notari, comme-

moratam quidem illam a Livio XXXIII., 11., similiterque Gallos significari versu 194., quam quadrati sint homines.

v. 198. 199. Scilicet ex diversis patris matrisque virtutibus promunt catuli, quod est in quolibet genere praestantissimum. Sequitur natura omnia ad perfectae virtutis laudem sua sponte conformans. Nam quod est optimum in quaque re, *florem* dixerunt veteres. De re obscena adhibuit Ovid. Met. X., 85. *sequitur natura* translatam esse figuram sermonis a cera sequente manum artificis annotavit Barthius. Burm. contulit Quinctil. Inst. Orat. II., 14. Declam. I., 7. XIII., 17. Oppianum Cyn. IV., 153. attulit Titius.

v. 200. Si leve te venationis genus delectat, quando tantum cursu persequimur fugaces feras et dorcades placet agitare, alios canes elige. *Dorcas* rarior vox a Graeco δόρξ pro δορκάς formata.

v. 201. *Versuta vestigia.* Conversa multos per anfractus, huc illuc *trepidantia* apud Virg. Cir. 171. τὰ ἐκ τῶν αὐτῶν πάλιν εἰς τὸ αὐτὸ ἥκοντα Xenoph. de ven. c. XI. §. 3. Sed lusus est calami, quod Burmannus coniecit, cum δασυπούς sit lepus apud Xenophontem nominatus, *hirsuta* esse legendum.

v. 202. *Petronii canes* quales sint, ipse Gratius nescit. Ergo *sic fama* ait, id est: *ita vulgo nominantur.* Hinc prorsus videtur inutilis Gronovii coniectura Obss. II., 13. *scit fama*, ampla doctrinae supellectile ab Iohnsono-Burmannoque sustentata. *Petronios* Festus rusticos dicit appellari a petrarum asperitate et duritie. Pariter Tertullianus ab Wernsdorfio laudatus Apol. c. 21. *rupices* vocavit homines silvestres et incultos. Itaque canes videntur significari veloces, qui petras et rupes illaesi percurrunt. Εὔποδες vocati iidem a Xenophonte de ven. c. 7. Nihil est, quod ad veterem scholiastam Horatii confugiamus,

Epist. lib. I., 5. v. 5. *Petrinum* vicum olim in agro Falerno commemorantem.

v. 203. Genus caninum non latini, sed barbari nominis, lepori venando imprimis aptum. Fortassis a Gallis erat oriundum. Cfr. Ovid. Met. I., 533. Martial. III., 47. Scribitur modo *vertagus*, modo *vertrahus* pariter ac *tragulam* et *trahulam* dixere veteres, de quo praeter Festum s. v. Varronem vide de L. L. IV., 24. *Vertraha* scriptura novitia videtur et ficta. *Veltracha* scribendum contendit Ulitius, nomen deducens a *Velt* (campus) et *Racha*, quod vetustis Saxonibus canem significat. Correptam mediam syllabam habet Martial. Ep. XIV., 200. *maculam falsam* diversicolorem interpretatur Ulitius, colorem aliquem ex fulgore repercusso ortum intellexit Burmannus. Nos cum Wernsdorfio falsam maculam putamus simpliciter eam dici, quae non est vera vitiumque falso refert.

v. 204. Titius confert Hom. Od. VII., 36. ὠκεῖαι ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα. Adde Virg. Aen. X., 248. *cucurrit* ἀορίστως, ut centies, positum.

v. 205. Contortior et nimis cohibita locutio, quam sic intellige: *Vertragus ille, qui haud facile inveniet latentes feras, premit eas, posteaquam invenit.* Igitur persequendo praestabilior est, quam investigando.

v. 207. *Pressantes gaudia* MS. praebet et ita in exemplaribus est vetustis scriptum. Peius est, quod Dan. Heinsius correxit *testantes.* Sic enim intelligito: Quodsi intra maturum ac moderatum lusum reprimere gaudia possent et continere, si taciti accedere possent dissimulando feras (quasi non adessent ferae) — etc. Lusum intelligit eum, qui fit caudae oscillatione ut v. 237. *Feras dissimulat* canis, dum videtur eas ignorare. Similiter Palaestris loquitur apud Plautum Mil. IV., 2, 2. *dissimulabo, hoc quasi non videam.* —

v. 210.

v. 210. *silvis* vid. v. 162. 214. Praeter necessitatem correxit Heinsius *silvae.*

v. 211. Est canum genus venaticorum omnium praestantissimum, quod Graeco nomine *metagontes* vocat, a nemine alio nominatum. *Μετάγειν* et *μεταδιώκειν* similia esse, annotavit Hesychius. Atque libris quidem vetustis omnibus impressum extat *Ad vestrum.* Heinsius ad Ovid. Met. VI., 416. inconsiderate voluit sic scribi:

Par vestro, non vile genus, Nonacria, vulgo etc.

Apud Wernsdorfium distinguitur secundum Iohnsonum:

At vestrum non vile genus, non patria vulgo,
Sparta suos et Creta suos promittit alumnos.

Quam verborum rationem sic explicavit Wernsdorfius: *At vestrum genus, metagontes, non vile, non patria vulgaris est, sed Sparta et Creta, nobilissimorum canum patriae, promittunt et conferunt suos alumnos ad metagonta generandum.* Duobus haec vitiis laborant: altero, quod *patria vulgo* pro *patria vulgaris est* mendose dicitur; alterum vitium in sententia residet. Quae enim sequuntur versu 213.:

Sed primum celsa lorum cervice ferentem,
Glympice, te silvis egit Boeotius Hagnon —

neque Spartam neque Cretam indicant metagontis patriam, sed Boeotiam potius arguunt. Itaque credo equidem, ita interpungendum esse:

At vestrum non vile genus, non patria, vulgo
Sparta suos et Creta suos promittit alumnos.

i. e. vestrum nec genus nec patria vilis est. Vulgo enim Sparta et Creta dicuntur metagontes procreare, sed primum Boeotius adduxit Hagnon. Cave ne versu 211. generis attractione offendas usitatissima. *Promittere* verbum sumptum est de agro fructus promittente, ut doctis est ab

hominibus annotatum ad Ovid. Met. VIII., 293. Spartanorum et Cretensium canes laudatissimi erant. Contulit Ulitius e Macrobio lib. VI., cp. 2. Utrumque genus consociatum est apud Lucan. IV., 441.

v. 213. Primus Hagnon Boeotius canem suum, Glympicum, loro ad eius cervicem aptato prae se egit, ut se in silvis per vestigia ad ferarum cubilia duceret. Igitur primum Hagnona cane inductore usum esse dicit. De quo Plinius VIII., 40: *scrutatur vestigia atque persequitur, comitantem ad feram inquisitorem loro trahens.]* Wernsd. Eadem ratione, qua versu 100., ad solum Gratium pertinet Hagnonis commemoratio, hominis alias prorsus obscuri, ut vere intellexit Wernsdorfius Exc. III. p. 242.-244. Sed fabulam aliquam vetustam respexisse Gratium ex *Glympico* canis nomine apparet. Si verum est, quod Hesychius affirmat, *ἀγνεῖν* Cretico sermone idem esse atque *ἄγειν*, fictum est nomen illud, ut negotium significaretur aliquod essetque illud vel *ἄγων* vel *κυνηγός*. Sed Oppianus hic quoque dissidet Cyn. II. v. 18., qui Polydeucem sive Pollucem refert canibus primum esse venaticis usum. Itaque Hagnonis illius Gratiani vestigia cum frustra indagabis in Niciae filio passim a Thucydide memorato et Plutarcho Pericle p. 655. Reisk., inque Alexandri praefecto militari apud Plin. N. H. XXXIII. c. 3., 14. Aelian. varr. hist. IX., 3. (cfr. Wernsd. Exc. III.), tum parum apte emendare voluit Wernsdorfius *Boeotius Haemon*, quod nec Propertius II., 8., 21. nec Ovidius Trist. II., 202. ullo pacto probare potest. *Astylidem* nobis quoque praeplacet ad Astylum Centaurum referre ap. Ovid. Met. XII., 308. Ceterum nomina quaedam canum celebritatem passim in fabulis nacta, quarum *Orthrus* Cerberi socius a Wernsdorfio commemoratur, de quo vid. Hesiod. Theog. 293. 309. et cfr. Pollucem lib. V. c. 5., 39 sqq. *Hagnonem igitur*, v. 216. ut ait, *unum*, *istarum rerum inventorem*, *grata praedicabit posteritas.*

v. 217. Hic vidit, qua meliore ac propiore via in artibus istis fluctuantibus esset progrediendum. Frequens est genus asyndeti, quam anticipationem vocant, exemplis illustratum ab Drakenborcho ad Liv. II., 57. §. 3., quod accusativo iungitur enunciatio relativa. Eius rei supra est exemplum versibus 62. — 65.: *Nonne vides semideos, quam magna mercede — impulerint.* Sed hic impeditius loquitur poeta, diversis subiectis usus in accusativo *(artes)* atque in verbo *(patuit).* Sic igitur habeto sententiam: *vidit, qua artibus propior pateret via. Patuit* etsi est indicativo scriptum, non repugnat tamen regulae tritae. Verba enim: *qua prop. patuit via* non ab *vidit* verbo pendent nec Hagnonis aliquod cogitatum exprimunt, sed rem certam et factam significant. Nolim igitur hunc versum exemplis annumerare ab Matthiaeo collatis ad Cic. pro Rosc. Am. 30. Heusing. ad Offic. I., 7. 26. *Trepidae artes* vagae sunt necdum stabilitae firmo usu. Deinceps *sedere* eas dixit, quae post dubitationem fixa manent. Confert Burmannus Plin. N. H. II., 7. *sedere coepit sententia* et animadversionem suam ad Petron. c. 3.

v. 219. Abstinuit ille comitum turba et apparatus impedimento, qualis Cephalus Ovidio Met. VII., 804. sq. prodit ad venatum. Ulitius putat notasse poetam aevi sui corruptelam, quo venari timentes Romulidae ipsi servilem operam adhibebant. Namque antea solis heroibus hoc conveniebat opus. Male Burmannus *turbam comitem* interpretatus est multitudinem *canum;* intelligendi sunt potius famuli. v. Horat. Epist. I., 6., 58. *Vasa* instrumenta sunt et arma venatoria. Adduxit Pollucem lib. V., c. 8. Wernsdorfius, ubi dicuntur *συνεργοὶ κυνηγέτου καὶ σκεύη.* — *tenentia longe* continenti serie et longo ordine procedentia. Cfr. Nemes. v. 300.] Wernsd.

v. 220. *operi petito.* Vago significatu utitur *opus* voce Gratius. Intellige *praedam speratam.*

v. 222. Non audemus Burmanno astipulari, qui vulgatam emendare sic voluit: *et quas trivere l.* Certe facilius erat, scribere: *per quasque ivere l.* Sed quid emendatione est opus? Structura est contortior pro: *per latebr. quas trivere*, sed eadem tolerabilior eo, quod tmesis speciem praebet. Dicitur enim *perterere latebras.*

v. 223. Diluculi opus est investigatio ut Olympio Nemes. v. 324. 325. Odor enim mane facilius captatur, quem *θήρειον ἀϋτμήν* vocat Oppianus Cyn. I., 466. Iunge autem *signa vapore ferino.* Vide, quae exempla doctis ab hominibus cumulata sunt ad Propert. II., 31., 11. Siliumque I., 86. XIV., 656. Quamquam mirabiliter cum hoc genere loquendi a quibusdam comparata sunt Homeri verba Il. VI. v. 504. *τεύχεα χαλκῷ* cohaerentibus, videlicet *χαλκῷ ποικίλα.* Sequentia sic interpretare: Vestigiorum ubi copia adest nimis multiplex qua turbetur canis, maiore gyro circumvolat, donec exeuntia ferae vestigia reperiat. Itaque, quoniam non in commovendo, sed in describendo poeta versatur, non abstinuit *eius* pronomine epicis lyricisque carminibus pridem exploso a Daciero et Bentleio ad Horat. Carm. III., 11. v. 18. Extat illud apud Ovidium Trist. III., 4. Metam. VIII., 16. *Huius* apud eundem Met. IV., 745. Iam, quod verum in ea re est, etsi Steuberum non legi in Seebodi Bibl. Crit. a. 1820. T. I. fasc. I. p. 60., sensu tamen meo videor assequi. Nam pronomina ista, si pondere carent, vulgari sermoni conveniunt, nec tamen coniecturis tentanda apud poetas, quando in minutis rebus describendis vel enucleandis versantur. *Spatia*, *τὰ δρομαῖα* apud Xenoph. de ven. cp. III., curriculum proprie in circu significant. vid. ad Virg. Georg. I., 512. Sil. Ital. XVI., 372. De ferae circuitu pariter habet illud Ovid. Met. VII., 783.

v. 224. Spatia tramitem vocat, sive egressum vestigiorum, qui *πρὸς τὰ εὐναῖα* duplex esse solet; alter, quo

ad pascuum accedit fera, alter, quo e pascuo ad cubile suum redit, non aliter, quam in circo duo utrinque spatia sunt.] Ulit. Displicet substantivi omissio in *Lechaeis* nomine, sive *Corinthiacis*. Quamobrem Barthiani libri interpunctionem probamus hanc: *Incubuit*, *spatiis*, *qualis p. L.* Solo *incumbere* verbo de cursu incitato utitur Ovidius Met. lib. X., 657. Isthmia certamina significari, in vulgus est notum, quibus ludis Lechaeum, portus Corinthi, celebris. Vid. Plin. N. H. IV., 5.

v. 228. Thessaliorum equorum virtus laudatissima. Antiquam de Neptuno ἱππίῳ sive πετραίῳ fabulam confer apud Vossium ad Virg. Georg. I. v. 14. V. schol. ad Pindar. Pyth. IV., 246. Lucan. VI., 396.

v. 229. Stirpes et genera equorum olim aestimata fuerunt. V. Iuvenal. Sat. VIII.] Barth.

v. 230. — 233. Lege cohibitum est canis officium, tum, ne nimio ardore latratuque hostem lacessat, tum, ne vestigia semel calcata relinquat. Congruit plane Xenophon de ven. c. III. §. 6. ὑπολαμβάνουσα — ἐκ τοῦ πρόςθεν — λαγῶ. cfr. supra v. 189. *Favorem* explicant ardorem, alacritatem, quae est ex studio placendi domino. Quantum in tanta verbi ambiguitate intelligo: venatorum quidem proprium illud erat, sed deductum ab acclamationibus, quibus spectatores in ludis incitare studium consueverunt. Hic est enim *favor* appellatus. Vide Drak. ad Sil. It. XVI. v. 314. Ergo sibi ipse quasi favet et applaudit nimia sua alacritate. Cfr. Burm. ad Phaedr. V., 6. Plus ambiguitatis verbo inest *favere* infra versu 240. — *ne redeat iactura*, ne amittatur rursum, vel elabatur fera, quae prope deprehensa erat.] Wernsd.

v. 232. *Ne levem praedam* intervenientem, aut *propioris pignora lucri*, vestigia ferae alius propius latentis, et

certo lucrandae, interea consectetur. *Pignora* Gratio sunt certa rei eventurae signa. Eadem monet Xenophon cap. IV. *Effunderet*, quod Iohnsonius posuit, significantius est, quam illud vet. edit. *offenderet*. Virgil. G. IV., 491.: *ibi omnis effusus labor.]* Wernsd. Non erat plane, cur vulgatam mutaret Iohnsonus, etsi ingeniosae eius coniecturae praeclara videatur auctoritas accedere Livio XXXVIII., 27. *Primum impetum fervido ingenio et caeca ira effundere* et Virgilio G. IV., 491. 492. *ibi omnis effusus labor. Offendere* actibus convenit optime, qui, ut Silio Ital. X., 136. I., 459., de incitato cursus molimine accipiendi.

v. 234. Signa commemorantur, quibus uti canes solent, quum melius succedit investigandi labor.

v. 235. *Consequitur* Meursius in margine. male. Ovid. M. VII., 518. *Flebile principium melior fortuna secuta est.*

v. 236. Dubito, utrum ad canem an ad venatorem referri debeat: *ut sciat.]* Ulit. *Ita ut sciat canis*, rectissime interpretatur Wernsd.

v. 237. *Effecta gaudia.]* Friget, opinor, quod memini quosdam interpretari: *Er bezeugt die erregte Freude.* Immo gaudia dicuntur *effecta*, quia effectum est illud, quo gaudeat et vestigia ferae tandem indagavit. Atque eam sermonis asperitatem Graecos quoque haud reformidare constat. Sophocl. Trach. v. 356. *οὐδ' ὁ ῥιπτὸς Ἰφίτου μόρος* i. e. *ὁ τοῦ ῥιφθέντος Ἰφ. μόρος*. et sic centies. Virg. Aen. II., 576. *sceleratas poenas.* Ceterum cfr. Xenoph. de ven. c. III. §. 4. *ἄκρα τῆς οὐρας σείουσι.*

v. 238. Unguibus terram eruit. *Τιθεῖσαι τὰς κεφαλὰς ἐπὶ γῆν λεχρίας ἐμμειδιῶσαι μὲν πρὸς τὰ ἴχνη ἐπικαταβάλλουσαι δὲ τὰ ὦτα* etc. Xenoph. de ven. c. IV. §. 3. De equis Virgil G. III., 87. *cavat tellurem.* Ibid. 535. *unguibus infodiunt fruges. Mandit humum]* quia pronum est

os ad terram inclinatum, ut *videatur* mandere. Frequens ista locutio, ut Virg. Aen. XI., 669. de hoste humi prostrato. Alias *mordere* usitatum. Similiter Valer. Flacc. III., 106. *mandere aequora* et *tellurem appetere* Sil. Ital. V., 526. cfr. ibid. XVIII., 263. λάζεσθαι sive ἑλεῖν γαῖαν Hom. Il. II., 418. *Spissa*, quod pro *ipsa* coniecit Heinsius, non magis utile, quam *radit humum* ab eodem illo correctum.

v. 239. Placuit poetae cum magnanimo equo, qualis apud Virgilium est, comparare caniculum. Id quod observa priore versu et hoc. Vera est ab Wernsdorfio scriptura restituta: *apprensat naribus auras.* Ita de equo magnos spiritus trahente Virgilius G. I., 376. *captavit naribus auras*, ubi Varronem respice á Vossio collatum.

v. 240.—245. Locus est omnium iudicio intricatissimus nec librorum MSS. auxilio ita sublevatus, ut, *quid* verum sit, digito possit monstrari. Extrema verba versus 244. corrupta esse liquet. Igitur in tanta ambiguitate eiusmodi videtur sententia eruenda esse: Docetur canis vestigia ferarum diligenter examinare, ne in errores inducatur. Qui si forte lapsus errore fuerit, aliam et rectiorem viam ingrediatur. Versu autem 240., etsi *favere* vocabulum exemplis sustentare nequeo, ita ut corruptela laborare illud paene credam, comparari tamen aliqua ratione potest cum *favore* v. 230. Esto igitur: *alacriter investigare. Pignora*, ut v. 231., signa sunt futurae praedae. Itaque *ne nimia investigandi alacritate primo oculorum obtutu fallatur, sedem docetur ferae virgultarum orbe inclusam circumlustrare, et vestigiorum accessum abitumque accurate inspicere.* Notissima est attractio versu 241. pro: *circa omnem orbem m. q. cl.* Ridiculum est enim cum Burmanno construere *omnem — pedem. Orbis* igitur, ut *gyrus* v. 245., medius est locus, quem circuit canis et qui aspretis undique est circumseptus. Versu 243. iniuria offensus est Iohnsonus *prima* vocabulo ter sex ver-

sibus iterato nec ieiunius est quicquam illius coniectura *illa.* Sed ad sententiam redeo. *Admonet* enim verbum utrum canis sit an venatoris, multum est dubitatum. Atque canem non posse intelligi, ipsa sententiarum convenientia demonstratur. Neque enim venator, sed canis vestigia notare docetur. Sin venatorem dicis subiectum esse, non minus laborat sententia ab ambiguae orationis pravitate, subiectis videlicet plurium verborum obscure immutatis. Itaque a Gratio scriptum esse coniicio

— accessusque abitusque notasse ferarum
Admonitus, si forte loci spes prima fefellit,
Rarum opus, incubuit spatiis —

Iam de singulis loquamur relicuis. v. 244. *versis* emendavit recte Ulitius, secutus est Wernsdorfius. In antiquis exemplaribus impressis extat *siser*, unde *seiri* coniecit infeliciter Casp. Barthius, i. e. cryptae subterraneae, Varronem secutus R. R. I., 57. Quis igitur Burmanno assentiat, cuius emendatio

Admonet; et si forte loci spes prima fefellit
(Rarum opus) incumbat spatiis ad prospera, sese
Intacto referens prima ad vestigia gyro.

nec ab sententia nec ab elegantia habet, quo commendari possit. Nihil prosaicae orationis ieiunitatem magis redolet, quam illud *sese* in extrema parte versus. Taedet autem immensam commentationis farraginem a Burmanno congestam perlustrare; ex qua tantum, si Dis placet, discimus, *admonet* verbum simul ad superius *ferre* v. 242., simul ad *incumbat* v. 244. referri posse. Ars critica tam leviter factitata ecquid habet pretii? — *Incubuit* explicatum est v. 227. *Ad prospera* i. e. ad prosperum eventum. *Intacto gyro.* Non ante calcato.] Iohns. Rectissime. Ergo alio gyro, ut inquit Wernsd., quem hactenus non attigerat, eadem loca lustrat, et ad prima vestigia redit. V. 245. nimium quantum olim offensi sunt interpretes

locutione *repetens ad v.*, immemores illi Virg. Cul. 104. Nec omnino reformidatum hoc est loquendi genus, ut video a Casaubono annotatum ad Sueton. Aug. c. 16.

v. 246.—250. Victoriam ubi reportasti, canis quoque praedae particeps esto. *Plena* igitur dicitur victoria *suo fine*. Antea enim, cum explorasset canis feram, *appropinquavit* victoria, post captam feram *omnibus partibus perfecta existit et plena est*. v. 247. antiquorum exemplarium scripturam ne tangas. *naris* enim legebatur rectissime ante Gronovium, qui *norit*, sat frigidam, mehercule, vocem, coniectura induxit. At enim vulgata etsi aliquatenus tortuosa, profecta tamen ab Gratio, qui imitatus est iterum Virgilium Aen. III. v. 222. *divos ipsumque vocamus In partem praedamque Iovem*, eamque locutionem, quantum e re sua putabat esse, mutavit. Ergo construe: *in partem praedae et praemia sua naris veniat*. Id quod vere est a Burmanno perspectum, qui contulit Cic. ad Div. XIV., 2. Ausonium Epist. IV., 21. Cic. Caec. IV. extr. Antea dixerat v. 191. *et quantum nare merentur*. Sed Heinsius hic quoque ad coniectandum quam ad explicandum paratior fuit. vv. 249. 250. Non convenire videbatur Burmanno palmae commemoratio rerum tenuitati. Verum solet Gratius in rerum quotidianarum descriptione ad exemplorum magnitudinem evocare lectorem. Ita sequentibus versibus Hagnonem iterum vides Deorum favore immortalium ad hasce artes inveniendas adductum. Verba ipsa Burmannus comparat cum Propert. El. IV., 9. v. 17.

v. 252. In vetustis exemplaribus mendose extat *Dianea*. Terminatio patronymicorum in *ia*, ut *Thucydidius* Cic. orat. §. 30., aureae aetatis est propria. *Diania* reposuit Scaliger.

v. 253. Inventus ab Hagnone thoum in venatione usus. Genus erat illud luporum canumque coitu procreatum, de quo conferre licebit Aristotelem hist. anim. IX.,

44. Plin. N. H. VIII., 35. Oppian. Cyn. III., 338. Xenoph. de ven. c. III. Ergo *finxit* Hagnon, quia est soboles factitia. Eorum igitur duplex virtus, sagacitas et violentia pugnandi. Xenophontis autem genus canum a lupis vulpibusque proseminatum cum Gratii thoibus mirifice congruit. Parvulum enim fuit, brevibus pedibus, toto corpore inhonestum.

v. 255. *norit voces* Gesn. Gr. P.; *morit* est in ed. A. et St. Optimam esse Iohnsoni emendationem aeque atque elegantissimam, neminem fugit qui sententiarum rationem consideraverit. Itaque *pignora*, ut antea de *vestigiis*, hic de *praeda ipsa* accipe. *Nudum Martem* habuimus versu 152. pariter *artificiosae sagacitati* contrarium. Quod Heinsius extricavit ex librorum corruptela, alienum ab sententia est.

v. 256. 257. Tangit forte poeta pugnam thois cum leone Romae in circo visam, unde *clarissimam famam* dicit. Et meminit thois in ludis Pompeii M. spectati Plin. N. H. VIII., 19. et 21. — *subire* de fraude et aggressione furtiva, ut v. 184. *parvis. lacertis* h. cruribus, ut infr. v. 277. Brevitatem crurum thoibus tribuit Plin. VIII., 34.] Wernsd. De *committere* verbo cfr. Sueton. Calig. 56.

v. 259. *exacta voluntas* promtum studium et expedita vis.] Wernsd.

v. 260. Non potest, nisi emendando explicari locus. Nam si quid suspicari licet ex vetustiorum annotatione interpretum, multis ambiguitatis generibus fluctuante, antiquissima libri MS. scriptura in hunc modum depravata erat:

At non est alius, quem tanta ad munia foetus
Exercere velis: aut te tua culpa revellat
Inter opus —

Refellat recte induxit Iohnsonus. Dan. Heinsius cum Burmanno ceterisque scribi voluit: *haut te t. o. r.* melius certe Gronovio, cuius haec est scriptura:

At non est alius, quem tanti ad munia foetus
Exercere velis: haud Te t. c. refellet
Inter opus.

qui cum verba: *exercere ad munia tanti foetus* intelligenda putaret *de nobili coitu cum metagonte*, mirabiliter tum lingua tum ordo sententiarum vapulavit. Quid multa? De *venationis exercitatione* accipienda. Sed offendit, quod a nemine video annotatum, *at* particula, nulla necessitudinis ratione posita, nam quod contrarium est thoum deformitati, significatum iam est verbis: *tamen huic exacta voluntas.* Quod cum ita sit, vestigia secutus libri MS., versu 261. retinendum arbitror *aut* mutatumque volo prius quoque *at* in *aut* hoc modo:

aut non est alius, quem tanta ad munia, foetus,
Exercere velis, aut te tua culpa refellat —

id est: aut talem foetum, qualem supra descripsimus, aliumque neminem exerce ad tanta munia, aut Tua Te ipse culpa frustrabere damnumque accipies. *munia* vel *munera* saepenumero de rebus bellicis dicitur, ut Liv. XXIV., 35. Olymp. Nem. Cyn. v. 194.

v. 262. *sera cadit pr. d.]* *sera est et irrita facta erit.* Notum genus loquendi poetis familiarissimum, de quo v. ad v. 357.

v. 263. sqq. Canis venatici descriptio, qua nihil per totum Gratii carmen iucundius. Nihil enim naturae non simillimum, sed exemplorum dignitate et amplitudine circumfusa nobilitataque omnia. Usque ad versum autem 278., quales ad procreandum canem parentes debeant esse, exponit.

v. 263. *Ergo* particula non syllogismi necessitatem ubique inducit, sed superiora interdum liberius et cum

vi quadam denuo comprehendit et quasi recolligit. Compara Virg. Ecl. V. v. 58. *Pares* ad aetatem referendum. cfr. v. 265. *Maiorum* igitur, h. e. *parentum*, *praestantia designat tibi futuram prolem. Maiores enim ipsi catulum futurum significant. Pignora* igitur denuo sunt *indicia*, *notae.* cfr. v. 233. 255. 300. *Signare* pr. *discernere*, *σημειοῦσθαι* s. *τεκμαίρεσθαι*; eodem significatu est apud Virg. Aen. II. v. 423.

v. 265. Nihil obscuritatis in verbis residet, si consideraveris *genuere* pro aoristo sive praesenti positum esse. Barthius cur offenderit in *immanitate pecoris* nulla erat caussa. Recte Burmannus explicat pecus *bellicosum et forte* (*δεινόν*, *θαυμαστόν*). Comparat idem ille Ovid. Trist. I., 2., 335. et infr. v. 281.

v. 266. *Expertos animi*, cognitos, spectatosque animositate.] Wernsd. Heinsius coniecit *animo*, parum memor ille latinorum consuetudinis. Exempla, ut Horat. Sat. I., 9., 11., congessit Vechner. Hellen. p. 269. Heus. — *gratia*] cfr. v. 74.

v. 267. Revocandum est, quod in vetustis exstat exemplaribus: *tum sortis cura secundae.* Ac Dan. Heinsii Burmannique coniecturam Wernsdorfius cum amplecteretur, falso ita explicavit: *secundo curandum est in sortitione vel electione.* Ita vero *tum* particula vitiose abundat. Praeterea *sortem secundam* sat imperite Burmannus accepit de *natalibus et quam sorte quadam formam consecuti sunt praeter reliquos*, ut infra v. 292. At ibi *aequa sors* multum ab huius significatione loci differt. Itaque tu *felicem sortitionem* intellige.

v. 168. Ne species impar et inepta coniunctioni sit.] Wernsd. *Honorem* potius de omni venatione intellige ut v. 291. Mutavit librorum scripturam Heinsius ad Ovid. Met. IX., 506: *aut ne detrectet honorem.* Iohnsonus

dederat *praedetrectet*, quamquam anacoluthiam vulgatae facillime explicabis ita: *aut talis sit*, *quae detr. hon.*

v. 269.—271. In descriptione generosi canis Gratius componi potest cum Xenoph. c. V., Oppian. Cyn. I., 401. seq. Polluce lib. V., c. 10., Nemes. 108. seq.] Wernsd. *hirtae frontibus aures.* Cfr. Virg. G. III. v. 55. ubi vaccae tribuuntur *hirtae sub cornibus aures.*

v. 270. Ignes ex ore patente efflati. *morsibus* dixit pro *rictu* ac *dentibus*, ut Virgil. Aen. VII., 112. Lucret. V., 1321.

v. 271. Ne venter canis pendeat nimis, vetatur. Apte comparavit Ulitius Nemesianum v. 109.

— *multumque gerat sub pectore lato*,
Costarum sub fine decenter prona carinam,
Quae sensim rursus sicca se colligat alvo.

Ilia astricta laudat in equis Quintilianus Instit. VIII., 3., 10. atque similiter apud Ovidium Met. III. v. 26. canis Actaeonis, Ladon Sicyonius, *ilia substricta* dicitur gerere. Cfr. Oppian. Cyn. I., 408. *πλευρῶν ἐπικάρσια ταρσά*, ibid. v. 409. *ὄσφυες εὔσαρκοι*, *μὴ πίονες*. Xenophon autem de ven. c. IV. §. 1. *πλευρὰς* poscit *μὴ ἐπίπαν βαθείας*, *ἀλλ' εἰς τὸ πλάγιον παρηκούσας.* —

v. 272. *discretaque c. caesaries.* Traductum a comae comptu, quam in fronte olim plurimum discernere moris erat. Ita canem suum pilos in collo discretos et hinc illinc quasi demissos habere vult.] Ulit. Ita *discrimina* in coma muliebri apud Ovid. II. Art. 302.] Burm. Comam dividuam et discriminatam Graeci appellabant *τρίχα μεμερισμένην*, de qua vide Salmasium Plin. Exerc. p. 537.

v. 273. *Non pexa nimis*, non nimis densa et villosa; *non frigoris illa impatiens*, non nimis calva. Itaque *pexa* caesaries est ita densa et longa, ut pecti debeat. *Pexum* enim in vestibus villosum, sive multis floccis pectine

aequatis obductum proprie significat, ut inquit Burmannus Salmasium secutus ad Solin. p. 277. Cfr. Horat. Epist. I., 1., 95. Contrarium est *calvum*, ψιλόν. Xenoph. de ven. c. III. §. 2. Arrianus cyn. VI., 1. ἡ θρὶξ, ait, εἴτε οὖν τοῦ δασέος γένους, εἴτε τοῦ ψιλοῦ τύχοιεν οἱ κύνες, λεπτὴ ἔστω καὶ πυκνὴ καὶ μαλθακή.

v. 274. *Validis dum surgat pectus ab armis].* Imago magnifica, numeri ac rhythmi etiam pondere aucta. Xenophon quoque c. IV. canibus dat suis στήθη πλατέα. Magnum poetae spiritum in his verbis valde admiratur Ulitius. Wernsdorfius comparat Pers. Sat. I., 14. et amplum in statua Domitiani pectus apud Statium Silv. I., 1. 42.: *Pectora, quae mundi valeant evolvere curas.*

v. 276. Effuge eum, qui plantas amplas habet, quae discedentibus inter eundum unguibus panduntur.] Wernsd.

v. 277. *Siccos lacertos* vocat pedes duros, rigidos, graciles (πόδας περιφερεῖς καὶ στεῤῥοὺς Xenoph. et Pollux) ut contra pinguia sunt mollia. Hinc porro *solidos calces* requirit.] Wernsd.

v. 279.—289. *frustra longus prop. labor.] properat, ita ut longus evadat.* De prolepsi cfr. ad v. 262. et 357. Planissima est autem sententia, interpretum commentis nimium quantum obscurata: *Frustra laboras, nisi femina canis, uno cum marito stabulo inclusa, nec magnum ac nobile genus admittit, nec intaminatam servat castitatem suam.* Itaque *nec* particula enunciatum illud per *non* inchoatum in partes dividitur et amplificatur, perinde ac Graecorum οὐ — οὔτε — οὔτε particulis. Quod, etsi pueris notum, monui tamen iccirco, ut Iohnsoni pariter ac relicuorum errores profligerentur, qui versu 281. *nec* particulae adversativam tribuerent significationem. Ita quidem factum est, ut *moechos* in fine versus scribi vellent satis inconcinne. — Ergo unum patiatur illa virum atque eundem

generosum ac nobilem. Pariter Nemesianus inquit v. 114.: *huic parilem submitte marem, sic omnia magnum.* Conferre licebit, quod in eodem genere praecipit Xenophon de ven. c. VI. ἄγειν πρὸς κύνας ἀγαθούς. De *magnis* cfr. Virg. Georg. III., 54. Mihi autem paullo diligentius consideranti versum, cum olim post *illa* interpungeretur langueretque pronomen illud in initium versus sequentis protractum, delendam puto interpunctionem et post *magnos* ponendam. Ita fit, ut *illa* pronomen, quod pronuntiando acui velim, non sine magna vi uxori caninae tribuatur. Scilicet *illa est*, quae laborem ad exitum perducit felicem. Ceterum in Burmanni libro vitiose legitur *in latebras.*

v. 282. Frustra est etiam labor, quando femina non perpetua et ad summum custodit castitatem, sed vulgivagos admittit.

v. 284. *furorem]* ἀνάγκη Xenoph. *Veneri* legitur in exemplaribus vetustis, ideoque praetulimus. *Veneris* post Heinsium omnes. Cfr. ad v. 266.

v. 285. sqq. Cura matris parituræ. Insulse Heinsius ad Ovid. M. IX., 506. *iunctos* corrigebat. Sed alterum illius correctum *si renuat coitus* plane absurdum.

v. 286. *Da requiem gravidae.]* σκυλακεύειν αὐτὰς ἐπανιέντα τῶν πόνων τοῦ χειμῶνος, ἵνα ἔχουσαι τὴν ἡσυχίαν πρὸς τὸ ἔαρ ἐπάγωνται τὴν φύσιν γενναίαν. Xenoph. de ven. c. VII. init.

v. 287. Nec ad Ovidium Trist. II., 69. *vix oneri par*, nec in Sylloge Epist. IV. p. 289. *suppar oneri illa* debebat corrigere Heinsius. Verum vidit cum Iohnsono Burmannus. Nam *super* dixit pro *superest.* Antea versu 275. *magnisque supersit* scripserat. Idem est ap. Virg. Georg. III. v. 127. *blando — superesse labori* et Columell. IV., 27., 8. *ut Veneri supersit.* Strictim adiicio Valer. Flacc. VIII., 271., ut ellipsis aliquo sublevetur exemplo. *Tum deinde.*

Ita *tum porro* Lucret. II., 787., *tum praeterea* Terent. Ad. III., 2., 47. quae attulit Iani Art. Poet. p. 234. Cfr. Broukh. ad Propert. II., 2., 14. a Burmanno laudatum.

v. 288. Ne inutili turba catulorum mater defatigetur, optimos elige. *Indocilis* turba est inepta ad opus venaticum; male Wernsdorfius *nimium avidam*, *improbam et matrem immodice distrahentem* explicat.

v. 289. Pellit animum Burmanni coniectura *pravos*. Ille videlicet, *inde* adverbium putabat *ex catulis* significare. Sed tueor vulgatam equidem, intellige enim *ex illis notis*.

v. 290. Virtutis caninae signa et curam describit. Maximo est autem opere attendendum, haec universa tanta esse arte a Gratio perfecta atque elaborata, ut non naturae solum simillima sint omnia, sed in verbis etiam ac sententiis summa venustas et quasi nobilitas versetur. Atque Virgilium hic illic imitatum esse nostrum, sponte intelligitur, cum versu videlicet 296. apprime quadrante Eclogarum III. versu 102. *vix ossibus haeret*. Signa in excernendo latius exposuit Nemes. 145. seqq. Igitur ordinem rerum hunc habes: vv. 290.—300. signa optimorum catulorum; v. 300.—344. cura et disciplina describitur.

v. 290.—294. Exilitate eminet inter relicuos fortissimus aliquando pugnator. Sed idem pares et superiores ferre nescit, sed dominari ceteris cupit sub matris uberibus. Quod Heinsius coniecit *mille suos* versu [illegible] nec cum *defecturus* verbo consociari potest, nec gravitati scripturae vulgatae assequitur.

v. 292. sqq. Parem cum relicuis sortem ferre non potest, nec, *dum sugit ubera matris*, *ullum patitur ex consortibus tergum suum conscendere ea tempestate*, *quae calida est*, *sed excutit omnes*, *et ab uberibus matris arcet*. Wernsd. Versu 294. quod scripsit Gratius, ex tam de-

p–

pravatis librorum reliquiis erui nequit. Dedimus Gronovii coniecturam, utpote tolerabiliorem, Burmanno et Wernsdorfio consentientibus. Sed nullius manu ad tantam est perversitatem sententia contorta, quam D. Heinsii. Ceterum notamus in elocutione: *a tergo liber aperto* pleonasmum non infrequentem, cuius Rupertus collegit exempla ad Sil. Ital. Append. v. *syntaxis.*

v. 295. *tepida.* Non dubito ver circumscribi.] Barth. Ego post solis ortum medium fere diem credo indicari, cui vesper opponitur.] Burm. Neutrum probamus. Serena tempestas opponitur frigori. Ergo Heinsii coniecturam: *verni* — *mundi* prorsus abiice falsam ab sententia. *Mundus* est autem nil aliud, Vossio iam monstrante ad Virg. Ecl. IV. v. 9., nisi coeli sphaera cuncta complectens (*κόσμος*). Cfr. Ennium apud Macrob. Sat. VI., 2. *mundus coeli vastus.* Igitur pro coelo ipso accipiendum vocabulum. *clementia indulget terris*, i. e. benigna est ac satis caloris praebet. Opponitur frigus; quod ubi perstringit a Cauro inductum, potens catulus tegi se patitur ignava et ignobiliore turba, ut a frigore defendatur. *Caurus* unus est ex ventis occiduis, quem Graeci *ἀργέστην* vocabant, vid. Gellium lib. II., 22. §. 12., frigora *spirans* apud Virgil. Georg. III., 356., Gallis maxime infestus, ut patet e Diodoro V., 25. 26. laudato ab Vossio ad Georg. l. l. Eundem hodierni Itali et Graeci *maestro* vocare consueverunt. Itaque *vesper* regionem significat occidentis, ut Virg. Aen. V., 19. Sil. Ital. III., 325.

v. 298. — 300. Manu, tamquam libra, iubet pondus catuli, futurae praestantiae signum, examinare. In qua re Gratius videtur Nemesiano fuisse exemplo Cyn. v. 145.: *Pondere nam catuli poteris perpendere vires.* Versu 298. *e* praepositionem revocare placet, quamquam ab Heinsio Burmannoque est *et* scriptum. Sed versus 299. Ulitius inconsiderate protulit explicationem hanc: *Gravio-*

res praestant (catuli), qui fratres suos pondere deducunt, id est, vincunt. Vitiosum etiam illud, quod Burmannus correxit: *leves*, vetustis exemplaribus adversantibus. In contrariam ergo cum Wernsdorfio sententiam sic verba tibi finge: *Levissimus quisque erit optimus*, id quod tum naturae consentaneum est, tum supra v. 290. aperte declaratur. *Ergo generosior qui est*, placet enim Wernsdorfium sequi, *ipse levis ascendet, et fratres suos pondere coget descendere: vel, nobilior catulus levior pondere erit.* Idem Nemesianus postulat Cyn. v. 168. Ceterum in re tam plana adeo hallucinatus est Gronovius, ut verba *illius e manibus* de unguibus caninis acciperet.

Sed horum verborum sententiam ideo inculcatam accurate velim, ut versus 300. quae ratio sit, intelligatur, ab nemine, quantum sciam, vere indagata. Nam prorsus falsus est, quem Wernsdorfius praescripsit ordinem verborum: *nec me isti catuli suis notis et indiciis fallent.* Praeplacuerat tamen eidem Wernsdorfio Burmanni correctio: *Haec de pignoribus*, id est: *hactenus de pignoribus est dictum*, parum consideranti, duplex residere vitium ista in coniectura. Nam videndum est, ambiguam vocem qua ratione adhibeat poeta. Qui si *pignus* vocabulum, satis vacillans sua significatione, usurpavit; ne nudum poneretur curavit, sed ut vocabulis iungeretur eiusmodi, quae aperte declararent sententiam. Cfr. vv. 255. 232. 262. Itaque correctio Burmanni ista obscuritatis vitio laborat. Eadem vero prorsus excussa profligataque videtur eo esse, quod inficetam reddit sententiam et ab ratione poesis plane abhorrentem. Poterat quidem Virgilius Georgicorum carmen III. his verbis incipere:

Hactenus verborum cultus etc.

quia illa ad totum carmen referuntur; similiterque noster versu 344.:

haec tua militia est

maiorem complectitur partem carminis. Quod enunciatum si ad decem versus referre placet, puerilis existit oratio. Sed nimis iam diu versamur in re apertissima. Quid multa? Sane pellere animum poterat lectoris, quod *minimum quemque catulum* eligendum esse docuerat; quod ne primo oculorum obtutu offenderet quempiam, addi placuit: *Carmina mea nec me nec te fallent pignoribus;* ita enim construe; nam est perinde ac si dixisset: *Signa et pignora, quae carmine meo nunc affero, nec me nec te fallent.* Teneto autem, quod *fallent* ad semet ipsum pariter ac lectorem refertur, pertinere ad anacoluthiam quandam. Vult hoc sibi: Haec pignora nec me fefellerunt umquam (quandoquidem venatar fui ipse) nec te fallent.

vv. 301. — 305. Cura matri adhibenda. Versu 303., si recte assequor primarum editionum sumptam ex Romano codice scripturam, legebatur olim: *suos ut erit delacta minores.* Quod nunc habes vulgatis in libris: *ut erit delata*, a Pithoeo est profectum explicatumque ab Ulitio: *cum ad catulos suos deferetur.* Hoc autem maximopere mihi quidem improbatur iccirco, quod nihilo magis latine dicitur *deferre* simpliciter pro *deferre ad* etc. quam *ferre.* Sed haeremus in eiusdem Ulitii correctione: *illa perinde suos uteri de lacte minores ac long. pr. op.*, nec probamus eiusmodi permistionem loquutionum sive σύγχυσιν, Graece ut loquar; namque *lacte nutrire catulos* et *longam opem praestare* plane sunt eadem. Hinc est, quod expunximus e textu nostro *delata* vocem. Ceteros autem paene displicet commemorasse. Nihil enim magis insulsum, quam Burmanni illud:

Illa deinde suis, *ut fit*, *de lacte*, *minorem*
Ac longam praestabit opem.

Consentaneum est, sententiam poetae hanc esse: matrem ut curabis ac fovebis, ita minores illa catulos fovebit.

Heinsius annotavit in ora MSti: *ut erit delecta* eamque veram scripturam esse persuasum est Wernsdorfio; nos reformidamus *delicio* verbum, praeter quam apud Nonium nuspiam usurpatum. Immutavimus igitur in vulgata scriptura duas litterulas, ut videremur et MSti vestigia non reliquisse, et concinnitatem sententiarum retinuisse, dedimusque: *dilecta.* Quam induximus ellipsin nostra emendatione, ea scrupulum fortassis dederit. Nam, uti pervulgatum est ellipsis genus illud, quo in enunciatione bipartita verbum omittitur in apodosi hac ratione: *illa perinde suos diliget, uti nos illam*, tamen rarius et asperius est, quod in protasi deest verbum. Tamen ex hoc genere videtur esse Propertius I. el. 8. v. 41.:

Sunt igitur Musae, nec amanti tardus Apollo.

v. 305. *Operi* h. nutritioni. Cum desinunt nutrire foetae, et iam nimia lactandi industria delassatae deserunt catulos.] Wernsd. *Operis* cum Ulitio Iohnsonus male praefert. Putabat enim Ulitius ita: cum *operis* h. e. venationis industria fregit matrem, vel naturalem affectum vicit. Nos tamen cum Wernsdorfio plane consentimus. *Relicti* catuli sunt *neglecti a matre.* Burmannus laudat Virgilium Aen. II., 357., sed iste locus alienus.

v. 307. *mazam*, farinam intellige ex hordeo prius tosto, deinde subtiliter fracto et molito aliis rebus mixtis. Vide Varronem R. R. II., 9. *Cererem* igitur *cum lacte* dicit Nemesian. Cyn. v. 161. Hesychius μάζαν interpretatur ἄλφιτα πεφυρμένα ὕδατι καὶ ἐλαίῳ, atque esca fuit ista adeo facilis, ut usitata esset philosophis, annotante Salmasio ad Solin. p. 231. Hinc de Stoica iuventa Persius ait Sat. III. v. 55. *grandi pasta polenta.* Nam idem fere genus cibi *polenta* dicebatur, quae quomodo parata fuerit Plinius docet N. H. VIII., 17. Facilem igitur dicit, vel quia facile paratur et in promptu est, vel quia facile digerebatur corpore.

v. 308. Opponit luxuriam et impendia, unde plurima hominibus ruina. Nam omnem educationem catulorum virtutis imagine magnae atque corroboratae exponit, quo quidem artificio rem sat exilem et humilem ad morum praecepta extulit et ab vitae communis inertia vindicavit. Ergo usque ad versum 327. luxuria quantum mores et ingenia depravarit hominum, illustribus demonstrat exemplis. Versu igitur 310. adeo prompta erat manus Heinsii, ut *census* reponendum, i. e. *divitias*, putaret. At enim adhaerescit ita *censui* semper notio quaedam iuris publici, quod etiam ab Ovidio Am. I., 10. v. 41. *paternos* voce significatum est. Sed quae a Gratio inter humanam caninamque luxuriam comparatio facta est, ea non ab divitiis imminutis, sed a virtutis vi debilitatae proficiscitur, id quod *sensus* voce est declaratum. Obiter notamus, quod *census* de *opibus* dicatur, ut Ovid. Met. VIII., 847., id non pertinere ad Manilii Astron. I., 12. III., 72. Corrigendus hic ergo Scaliger.

v. 311. Breviter moneo de correctionibus. Sententiae satisfecisse sibi visus est Casp. Barthius, qui dedit *vitiis abeuntibus*, et obiter correxit ad Claud. de laud. Stil. III., 160. nostra verba in hunc modum: *tollat — obstet*. Burmanni illud *subeuntibus* et *adedentibus* Heinsii, atque quod item in sententia peccatum ab Ulitio est, subtili caeteroquin et docto homine, qui scripserit: *non et magis altera sensus Tollit*, *nec ratio* etc., denique Graevii emendationem in Sylloge Epist. IV., p. 244. *Tollit ni ratio*, *et vitiis adeuntibus obstat*, ea lubens praetermitto singula. Nam repugnare huius versus sententiam antecedenti versui autumarunt isti omnes, quorum bipartitam intelligo sententiam esse. Partim enim verba *tollit se ratio* ita sunt interpretati: *Es entschwindet die Vernunft*, quasi esset scriptum: *aufert se;* partim *optandi* vim eisdem verbis inesse voluerunt: *utinam se tollat*, i. e. *erigat*. Ac prior quidem ratio tum barbare enunciata esset, tum facilius certe poe-

tae fuit, *aufertur* scribere. Posterius vero quam frigidum sit et pondere destitutum omni, unumquemque credo persentiscere. Sed verum est illud, quod ut priori sententiae contrarium video ab omnibus reformidatum: *Es erhebt sich die Vernunft.* Etenim si quid contrarium est, ecquam icciroo habet repugnantiam? Itaque ne cui videatur conturbari structurae aequabilitas, ita, quaeso, accipe: *Indulgentia maximo opere sensus absumit humanos,* — *contra ratio tollit se. Haec illa est (indulgentia* scilicet) etc. Quoniam igitur versamur semel in hac materia, addimus, contrariam sententiam interiectam illam lyricae poesis propriam esse, ad quam, sicubi animus fert et magnitudo rerum, vel didactici poetae assurgunt. Hinc est, quod abiicimus Iohnsoni quoque emendationem: *vitiis adeuntibus abstat*, i. e. absistit, aufugit, laudibus ornatam ab Wernsdorfio Excursu IV. Hac autem occasione oblata laudamus eundem Wernsdorfium, qui venustam hanc digressionem poetae contra accusatores non modo excusaverit, sed vindicaverit adeo et defenderit. Nam — licebit enim verbis illius uti — possit aliquis in magno Gratii vitio ponere, quod ab ignobili adeo humilique materia, qualis est illa nutriendorum et educandorum canum, ad regum solia et regnorum populorumque conversiones transierit. At enim, quae contemta haberi ab aliis poterat nutricatio canum, poetae tamen videri non debuit, qui de venatione universe, cuius praecipuum munus est bonos canes alere, scribendum susceperat. Praeterea, ut iterum loquar cum Wernsdorfio, non ipsos canes eorumque pulmenta cum regum coenis et divitiis comparat, sed communis locus est, in quem excurrit, de luxuria vel gulae intemperantia animalibus aeque ac hominibus exitiosa. Ergo parva composuit magnis,

Scilicet exiguis magna sub imagine rebus
Prospicies, quae sit ratio et quo fine regenda.

ipse profitetur v. 326.

v. 313. *Mareoticum vinum*, Alexandrinum vocatum ab Athenaeo I., 25., prope Alexandriam crescebat lacumque Maream. Sed Vossium lege ad Virgil. Georg. II., 91. Cfr. Horat. Carm. I., 37. v. 14. Perstringendi sunt autem veteres interpretes, qui adeo naturalis historiae imperitum clamitarent Gratium, ut quod genus vini a Columella III., 2. inter Graeculas esset vites numeratum, idem assignaret Aegypto. Scilicet, quod in Graeciam erat transplantatum, vocatur *Graecum* a Columella. — *servata*, recondita et vetusta. — *Cavis gemmis.* Pocula intellige facta ex una gemma cavata, ut ex achate, lychnita, carbunculo, aliis. Ceterum aurum etiam poculorum gemmis ornabatur intextis. De his poculis gemmatis intelligenda Silii Italici verba apud Salmasium ad Solin. p. 789.:

Iam simul argento, fulgentia pocula mixta
Queis gemma quaesitus honos —

ubi vulgo editur *gemina.* Cfr. Virgil. Georg. II. v. 506. Propert. III. el. 5. v. 4. Iuvenal. XII., 47. et Martial. apud Fulv. Ursin. Append. ad Petr. Ciacconii lib. de Triclin. p. 363. Hinc Plinius inquit lib. XXXIII. cp. 1. init. *turba gemmarum potamus et smaragdis teximus calices.*

v. 314. *Nardi metunt Gangem* h. vim magnam Nardi ex India advehendam curant.] Wernsd. Male correxit Heinsius: *nardiferumque metunt unguen*, refutatus iam a Burmanno. Nihil magis usitatum, quam fluminis nomen pro terra ipsa adhibitum. Ergo *Gangem* posuit pro *India.* vid. Serv. ad Virgil. Georg. II. v. 137. *pulsum Niphatem* habes pro *pulsam Armeniam* Georg. III. v. 30. Cfr. IV., 211. et nostrum v. 128. Passerat. ad Propert. III., 4., 4. Itaque *metunt* verbum ad regionem refertur. Apud Silium tamen VIII., 565.:

Qui Batulum Nucrasque metunt

pro *incolunt* est dictum, ut alibi *bibere*, *potare* vel *natare.* Vid. Olympium Nemes. v. 67. Nemo ignorat autem,

quanta post Alexandrum luxuria demersa iacuerit Aegyptus, regnante potissimum Ptolemaeo IV. De mercatura ista cum Indis loquitur Statius Silvarum lib. IV., 80.

v. 314. *vitiisque ministrant]* δουλεύουσι. Ministros se praebent. *Minister* enim proprium in conviviis et commessationibus verbum, ut *ministro.]* Iohns. De illa constructione verbi vid. ad Val. Flacc. III., 38.] Burm.

v. 315. *Cecidisti.* Et haec rarior locutio: vulgatior est *cadere ab aliquo*, de quo ad Ovid. Met. V., 192. *Cadere alicui* illustravit Cortius de usu Orthog. Latin. dis. cap. III., §. 1. p. 32. Immo et ablativus potest esse, ut Claud. Cons. Hon. IV., 89.: *Non victore cadunt, sed iudice sontes.* Dubium, an dativo, an ablativo: idem III., Stil. 163.: *Atque idem Thebis cecidit.* Ita *perire* idem II. de Stil. 250. et ita *perire ab aliquo.]* Burm. *Cadere alicui* de eo dicitur, qui mancipatus fit alicui cadendo. Itaque cecidisti ita, ut in potestatem Cyri venires. *Iacet externa mihi cuspide Canthus* Val. Flacc. VII., 422.

v. 316. quamquam divitiis tuis potens eras, fluviis auriferis, Pactolo et Hermo, perpetuo ditata.] Wernsd.

v. 317. *Scilicet* inservit gradationi ad partem summam et praecipuam. Virg. Georg. II., 534.: *Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.]* Wernsd.

v. 318. *Victas artes* in vetusto exemplari est a Barthio repertum, quod Burmannus defendit iis quae ad Petronium cap. 55. notavit; sed fieri non potuit, quin durum videretur Burmanno *victas artes* pro *victarum gentium artes. Fictae* opponuntur artes naturali parsimoniae victuique simplici. Has, inquit, dum undiquaque acquiris, et peregrinarum gentium luxuriam sequeris, maiorum ab gloria nimium quantum aberrasti. Explicat Iohnsonus *fictas artes* per *studio elaboratas*, ut pictura, statuaria, musica, aliae. Burmannus scribit: *excogitatas a variis luxuriae magistris.*

v. 320. *Frustrata* sc. *es*, aberrasti et defecisti ab antiqua maiorum tuorum gloria. *decoris*, usus casus genitivi graecanicus.] Wernsd. Vid. Aeschyl. Pers. v. 478. Blomf. ἐψεύσας φρενῶν, Euripid. Iph. A. v. 749. ἐλπίδος δ' ἀπεσφάλην. Cfr. Plaut. Epid. II., 2. v. 55. Graecorum ἀποτυχοῦσα comparat Iohns. Locutionem *o quantum et quoties* vid. ap. Ovid. Art. II., 447.

v. 323. *Ex habitu* h. e. quod illi viri habitum et indolem priscae virtutis et parsimoniae tenuerunt, hinc Romam potuerunt caput orbi imponere.] Wernsd. Erat iste M. F. Camillus, nominis Romani vindex, post exitium a Gallis paratum. Eius frugalitatem et victus parsimoniam laudat Horatius Carm. I., 12. v. 42. Celebrat eundem Livius I., 7. Nec offendit in nomine proprio pluralis pro singulari usus frequentissimus latinis, ut Horat. Epist. I., 1. v. 64. Alter erat C. Attilius Serranus, cuius historiam vide ap. Valerium Max. IV., 4. Plinium N. H. XVIII., 3. Multum eius virtus corroborata Romanis celebrata est. Scribitur nomen nunc a serendo *Seranus*, nunc ab Umbrorum oppido *Sarranus* per diaplasmum metricum, quemadmodum *Dionyssus* Silio Ital. III., 393., et centena alia. Nec minore laude exornatur a Plinio N. H. XVIII., 3. Columella init. lib. I. vid. Ernesti Clav. Cic. v. *Attilius* et Perizon. Animadv. Hist. c. I. Fabricio consociatum habes Serranum a Virgilio Aen. VI., 846. Nihil opus plane, ut cum Heinsio legatur *victus*. Cultus pertinet ad triumphorum luxuriam, in quibus Iovis tunica amicti conspiciebantur duces. Itaque post triumphales currus, deposito eburneo scipione, agrestem ille stivam repetiit. Versu autem 323. ita iungenda verba: *ex priscae virtutis habitu et indole.* Notamus enim, *que* particulam suo loco distractam more poetarum, ut Tibullo I., 3. v. 56. Horat. carm. sec. v. 22. Od. I, 30. v. 60. II., 19. v. 28. III., 1. v. 12. Eandem structuram passae sunt *ve* et *ne* particulae. Horat. Carm. II., 7. v. 25. Epod.

II., 50. Serm. II., 3., 139. 157. I., 8., 2. Ergo, ut redeamus ad sententiam, *habitum* virtutis accipe de modica specie externa, indolem de animo potius virtute corroborato.

v. 324. Locus est nobilissimus profecto, quo Romanorum ingenia extolluntur, haud alienus granditate sua ab Virgilio, a quo Romanorum laudes Aen. lib. VI. versibus 848.—854. cum Graecis comparantur. Ibi Romanorum proprium dicit, ut imperent terrarum orbi, noster adeo altius assurgit atque imitatus Virgilium Aen. VI. v. 783. terris imperium, virtutem diis immortalibus aequavit. De talibus Romae praeconiis cfr. Heyn. ad Virg. l. l. Mirandum igitur profecto est, Heinsium mutasse scripturam vulgatam. *Agere* est *promovere*, *extollere*, ut de planta crescente legitur: *actas ad sidera pinus* Virg. Aen. XI., 136. et: *agit se palmes ad auras* Georg. II., 364. Additur Horatius Carm. II., 2. v. 7.: *Illum aget penna metuente solvi Fama superstes.* Claudian. b. Get. 122. Val. Flacc. II., 179. Columella II., 16. Itaque virtus est elata, ut inquit Burmannus, quae crevit in immensum. Sententiam expressit Horatii Carm. IV., 15. v. 13.—16.

v. 325. *tetendit. ad* repetendum.] Ulit. Scaliger perperam in ora codicis scripserat: *summo se extendit honore.* De geminanda praepositione vid. ad Claud. Cons. Hon. IV., 207.] Burm. Non magis est praepositionis omissio, quam apud Lucanum VII., 477.: *aethera tendit fragor.*

v. 326. *Scilicet* a magnarum rerum imagine capere exemplum poteris, quomodo exiguis rebus providendum sit, quae ratio sit iis administrandis adhibenda, et quo fine moderanda.] Wernsd. Confer not. ad v. 311. *Regitur* ratio, i. e. *dirigitur.* Suetonio Aug. c. 24. *disciplinam rexit* scripturam praetulit Casaubonus ei, quam praebent Ursini codd. *exegit.* Hoc modo explicandum *imperium regere* et

similia, de quibus vid. Burm. ad Ovid. Pont. III., 61. Perperam tamen *quo fine* a Burmanno explicatur *quo modo.* Nihili sunt exempla e Floro II., 15. Val. Max. VI., 6., 2. Horat. Sat. I., 1., 106. *Regere* cum ablativo iungi potest, quando caussa exprimitur, qua efficitur et ad quam se refert regimen. Hinc est, quod Cicero inquit Off. III., 21., *utilitatem dirigere honestate.*

v. 328. Deinceps agit de familia, quae canibus educandis et ad venationem exercendis addatur. Attendendum est autem ad artificium, quo rem sat exilem et tenuem ad imaginum et iucunditatem et granditatem Gratius extulerit. Nam paene inter castra militiamque versari nobis videmur. Propemodum ad Virgilii exemplum Georg. IV. *duces* praeficiuntur catulis, additurque *imperium*, *regna*, *arma*, *bellum* ipsum et *socii* occurrunt, omnia denique ad humanae vitae societatem et coniunctionem atque ad vitae vulgaris usum accommodata. Custos igitur catulorum et magister qualis debeat esse, demonstratur. Esto ille iuventute validus, atque ἤδη ἐκ παιδὸς ἀλλάττων τὴν ἡλικίαν, ut ait Xenophon de venat. cap. II., §. 2.

v. 328. *unusque magister.* Magister catulorum, ut *magister equitum.*] Iohns.

v. 329. *poenamque operamque.* Voces Heinsio suspectae, quia rectius *ministrare operam*, quam *poenam* ducebat. Sed zeugma est usitatissimum.

v. 330. *hunc spectet*, h. e. nutum eius perpetuo observet, oculos ab eo non demoveat. *Iuventutem* appellat canes, sicut Virgilius apes Georg. IV., 22.] Wernsd. Eadem fere postulat in venatore Oppian. Cyn. I., 86. sqq. Vere *spectet* explicavit Wernsd. Contulit Burmannus Ovid. Amor. I., 4., 17. Terent. Adelph. II., 1., 16. Eunuch. V., 6., 18. Torrent. ad Horat. Epist. I., 16., 57.

v. 331. *Arbitrium*, i. e. *imperium.*] Iohns.

v. 333. Recte vulgatam contra Heinsium tuetur Wernsdorfius. Similiter enim Oppianus I., 90. *ἀμφότερον, κραιπνόν τε θέειν σθεναρόντε μάχεσθαι. Integer* scripturam depravatam libri Barthiani contulit Burmannus cum eadem discrepantia codicum apud Statium Theb. VIII., 302.

v. 334. *Accessus et temp. b.* h. e. quomodo adoriri feram et quando debeat. Sic Virg. A. IV., 423. *molles aditus et tempora* coniungit.] Wernsd. At enim loco Virgilii *aditus* est *alloquium*. Lubentius igitur aditum accipimus de loco, unde in feras impetus fit, nec verum est, quod Barthius monuit, *agere bellum* dici pro *gerere b.* Immo *agere bellum* dicitur, ubi cum ratione bellum administratur. Claudianus in Eutrop. II., 325.: *Tandem*, inquit, *consilium belli confessus agendi* atque cur *agendi* dixerit, ipsa *consilium* voce declarat. Est enim: *tandem, quo consilio bellum disponi deberet et administrari, confessus est.* Itaque apprime sibi opponuntur: *in agendo — et suscipiendo bello* Cornelio Nep. Hann. VIII. §. 3.

v. 335. *socios] canes* interpretati sunt, minus validos hoste stabulis excito, Ulitius et Barth. Graecorum *ἥττων* comparat Wernsd., ut: *minor in certamine* Horat. Epist. I., 10., 35.

v. 336. Nisi igitur et rationem et tempus artemque bellandi intelligat magister, aut cedent canes, aut, si vincunt, vincent cum damno, rudi et incomposita virtute, vel lacerati et nimio labore defatigati. Bene Burmannus annotavit loquutionem: *aut illa tamen victoria damno est.* per defectum orationis quendam explanandam: — *aut, si vincunt.* Vide Gronov. ad Senec. de benef. IV., 6. ad Liv. XXIII., 19. Corte ad Sallust. Iug. 55. Calpurn. Ecl. V., 110.

v. 337. Cautus ergo et cum ratione ad venandi opus aggredere, nec armorum quicquam desit. Sed mi-

randum est, in quo Burmannum etiam video haesisse, a quibusdam *omnibus armis* pro dativo accipi, apto ex *factus* vocabulo, quasi esset illud: *natus et idoneus armis.* Ea vero quoniam est innata quaedam virtus, imperandi modo postulari nequit. Melius Wernsdorfius *factus* explicat: *paratus*, *instructus*, ut Cic. ad Att. II., 24. *ut qui illuc factus instructusque venisset.* Ergo reprehendit iure suo Heynius ad Tibull. lib. II., 6., 10. Muretum, quod receperit scripturam: *et mihi grata tuba est.* Nam: *et mihi facta tuba est* significat: *est in promptu mihi.* Nec tamen convenit Ovidius Trist. III., 83.: *et mihi facta via est.* Quamquam residet adhuc dubitandi materia in adiecto ablativo. Nam et nude videor equidem mihi *factus* vocabulum hac significatione semper reperisse, et instrumenti casus, si cum *factus* coniungitur, nescio quid prosa ab oratione ieiunitatis habet, multum ab hoc praeciso genere exhortandi alienum. Quamobrem ablativum *omnibus armis* simpliciter positum esse opinor, sive *cum* praepositionem omittis, ut apud Tibullum El. I., 2. v. 78., sive *in* tacite adiicis, ut Horatio Sat. I., 3. v. 8.

v. 338. *Arma acuere viam* i. e. venationem fortiorem acrioremque reddere solent. *Viam* igitur appellat omnem venatoris incessum atque apparatum; hinc sane miraberis, cur ista locutio tam obscura Iohnsono pariter ac Burmanno visa sit, ut mutandam crederent vulgatam. Nec tamen Tibullus erat laudandus II., 3., 37., ubi Broukhusiana scriptura: *praeda feras acies acuit cr. ar.* pridem abiecta a Vulpio est. *Fascia* calceamentum erat venatorium, alibi *cothurnus* appellatum. Pertinebat illud a pede usque ad suras, ne a sentibus et silicibus laederentur crura cursuque impedirentur. Hoc vestimenti genere cum venatores, tum ipsa Diana eiusque comites utuntur veteribus in monumentis. Cfr. Aen. lib. I., 337. Similiter in sacris Dianae Triviae leviter describendis:

hymnum purpureo festo canit ore Triviae
et iam purpureo suras include cothurno,

inquit hexametrorum μειούρων auctor, quem Livium Andronicum putavit esse Terentianus Maurus p. 2425. Descripserunt illud calceamentum Galenus et Pollux, auctore Vossio ad Virg. Ecl. VII. v. 32. Graecis erat ἐνδρομὶς (Anth. IV., 12.), ἔμβας, σανδάλιον, πεδῖλον. Cfr. eundem Vossium mythol. epist. II. p. 52. Ceterum *fasciae* nomen a βασκία videtur sumptum. Cfr. ad Nemes. v. 90.

v. 339. Locus pessime interpolatus restitutusque ab Ulitio eo modo, quem proposui. Praeterea desunt hi versus in editione G. Sequimur Ulitium. Hic *vitulinam manticam* interpretatur μόσχειον κυνοῦχον, quem requirit Xenoph. de ven. cap. II. §. 10. De eo Pollux scribit V., 31.: κυνοῦχος δὲ δέρμα μόσχειον, εἰς ὃ ἐντίθεται τὸ δίκτυον, τῷ σχήματι πεποιημένον, ὥςπερ τὰ σύσπαστα βαλάντια. Illustrandi caussa Burmannus adiecit Petronium cap. 40., qui venatorem sic describit: *barbatus ingens, fasciis cruralibus alligatus et alicula subornatus polymita, strictoque venatorio cultro latus apri vehementer percussit.* Scaliger volebat: *Cum villis maelina suis.* Et panarium venatores gestasse Plinius docet Epist. I., 6. *Chlamys* uberius descripta est ab Ulitio ad Nemes. cyn. v. 91. *Galerus*, usitatum pastorum, agricolarum venantiumque gestamen (vid. Calpurn. Ecl. I., 7.), capillamentum quoque erat artificiose confectum, quo calvitium velabant, cuius rei praeter Casaubonum ad Sueton. Oth. c. 12. Iuvenalis est auctor Sat. VI. v. 120. Conficiebantur autem galeri ex pelle alicuius animantis. *Maele s. mele* pro vulgato *macle* reposuit Salmasius ad Solin. p. 710. Erat illud felis feri genus, vel viverra, quae graece κτίς dicitur; inde κτιδέα ipsum galerum appellari notavit Wernsd.

v. 341. *Toletano — cultro.* Cultrum inter praecipua venatorum armamenta fuisse, satis est vel ex Seneca ep. 88.

notum, qui cultrum pro venatione ipsa nominat (vid. Lipsium Saturn. serm. lib. II. c. 3. Sueton. Aug. c. 19.). Laudandus est Wernsdorfius comparans illum cum gladio Hispaniensi, de quo praeter Martialem Apoph. 29. Silium iuvabit adire VII., 10. Gestus ille culter in zona videtur esse, quod significat Oppianus Cyn. I., 92.: *δρεπάνην δ' ἐπὶ μεσσόθι ζώνης*

v. 342. Non magis haec est *falarica* a Livio descripta XXI., 3., quam illa apud Virgilium Aen. IX., 705. Sed lancea potius valida, magno pondere. Servius et Festus a *falis* derivant. Sat abunde descripsit illam Rupertus ad Sil. Ital. I., 351.

v. 343. Comparat Ulitius Xenophontem de ven. cap. II., qui requirit *δρέπανα, ἵνα ᾖ τῆς ὕλης τέμνοντα φράττειν τὰ δεόμενα.* Noster postulat, ut falce rumpat vel aperiat loca sentibus obsepta. Non temere abiiciendum, quod veteribus exemplaribus perscriptum erat: *rumpant nova pervia*, i. e. *rumpendo patefaciant nova p.* En, hellenismum, de quo versu 140. est actum. Addere placet Sophocl. Antig. v. 671. *τροπὰς καταῤῥήγνυσι.* Itaque ne hoc quidem abs re est, quod Ulitius addidit e Valerio Flacco lib. I. init: *mediosque inter iuga concita cursus Rumpere.* — Iohnsonus amplexus est incerti viri docti coniecturam: *non pervia*, Scaligero quoque et Heinsio approbatam.

In ea parte carminis, quae sequitur, ubi de morborum in cane generibus medelarumque ratione agitur, illud erat fugiendum poetae, ne nimis vulgarem atque adeo sordidam materiam tractando taedium moveret potius, quam delectaret animos legentium. Quocirca relligiosum se in hoc quoque genere praebuit Gratius; qui cum ea, quae naturae essent propria, attingeret praetereundo, aevi sui superstitioni se accommodavit et quasi alligavit commoratusque in eis est, quae miraculorum,

quae maiestatis venerationisque viderentur plena esse. Itaque in curatione morborum suo quodam more proprio eodemque valde admirabili descripta vides ea, quae non vulgo ac temere, sed cum castitate caerimoniaque adeunda et reformidanda ac reverenda sunt magis, quam invulganda. Qua quidem in re cum optimos poetas, tum imprimis Virgilium videtur exemplum habuisse. Operae est autem pretium adire Vossium ad Virgilii Georg. III., p. 670. 671. fuse exponentem de superstitione veterum illa relligiosa, qua morborum genera quaedam a piaculis hominum deorumque ira profecta credebant esse, ideoque ad medelas singulares prodigiosasque confugiebant. Itaque praeter usitatam medicorum rationem, aliam etiam reconditiorem et mysticam desiderari, significatur a Gratio versibus 347.—351.

v. 344. *Militia.]* Hoc opus tuum est, hae partes, quas cures. Ovid. Fast. II., 9. *Haec mea militia est* etc.] Burm. Sive Ovidium spectas, sive Manil. Astr. II., 20., aliena haec ab Gratio exempla, qui nil nisi hoc vult: *Hactenus de militia canum et venatione actum est.* Cfr. ad v. 300.

v. 345. *Per tot divortia morbos.]* Tot flexibus huc illuc per corpus serpentes et inexpectatis vicibus adorientes.] Iohns. Peius *divortia* Wernsd. explicat genera diversa et varia symptomata morborum. Ceterum praeter necessitatem Wernsdorfius in homoeoptoto, quod efficitur vocabulis duobus: *divortia* et *Mavortia* offendit. Lubentes indulgemus talia vel Ovidio, Virgilio, aliis.

v. 346. *Caussae* pro elementis morborum, medicorum notione, dictae. V. v. 53. 360. 367. *tueri* est observare, sanare. sic v. 478.] Wernsd. *Cura* c. infin., ut Virg. Aen. VII., 443.

v. 347. *Stat fatum supra*, hoc est, imminet.] Barth. Minime; potius: dominatur in omnia. Plane ea ex poetae ratio-

ratione explicanda, qui vulgarium contemptor, altius repetendas morborum docet caussas. Ergo non sine magno pondere metuenda fati vis declaratur, omnibus humanis rebus validior.

v. 348. *Pascitur*, devorat, depascitur, *totum*, τὸ πᾶν. *Circumsonat alis*, terrorem instantis fati incutit, quasi avis dira et rapax, involans in praedam, ut bubo apud Virg. A. XII., 865.] Wernsd. Posterius falsum. Orcum pro ipsa morte adhiberi notissimum, ut apud Horat. Epist. II., 2., 178.: *Orcus metit grandia cum parvis.* Ἀιδης igitur πολυδέκτης vel πανδοχεύς vocatur. Nec tamen putandum est, imaginem ab ave dira et rapaci esse sumptam. Quemadmodum enim Noctem Somnumqne veteres alatos fingebant, ita Mors etiam, ut Horatius inquit Sat. II., 1. v. 57.: *atris circumvolat alis.* Confer Lessingium in libro: *Wie die Alten den Tod gebildet*, p. XIV.

v. 349. — 351. *Praeter usitata morborum remedia religiosa etiam prodigiosaque debes adire, quibus deum, tamquam auctorem morbi caussamque principem, placare queas.* Maluimus antea demonstrare sententiam, ut, quam falsa et structura et correctione doctis ab hominibus tractatus sit locus, appareat. Nam paene ridiculum est, quod a Dan. Heinsio, homine alioqui eruditissimo, correctum est ad Ovid. Met. X., 399.:

— *hinc quoque nosse*
Est illud, quod praestet opis placabile numen.

Numen opis videlicet pro *numine opifero aliquo* accipiebat. Temere autem Iohnsonus nimium quantum versus attenuavit ad hunc modum:

Scilicet ad magnum maior ducenda laborem
Cura; nec expertos fallet placabile numen.

Sed vitio magis est assignandum, quod Burmanno placuit sic scribere:

— hinc quoque nosse
Est aliud quod praestet opem plac. num.

Ita quidem *aliud* numen *priori* alicui respondet nulli. Quod verum est, quasi digito monstrat Wernsdorfi annotatio: *hinc*, post remedia, quae experti sciunt, *nosse* decet *aliud* a deo placato impetrandum. Ne multa; aut sic construe: *Hinc quoque opus est*, *aliud nosse*, *quod numen praestet placabile;* aut iunge: *est nosse aliud opus*, *quod* etc. Neque enim *esse* verbum cum infinitivo sociatum minus est Latinorum poetis quam Graecis alienum. Nemo ignorat ἔστι dici pro ἔξεστι, velut ἔστι μὲν εὕδειν Hom. Od. ό et Euripidis illud: οὐκ ἔστ' ἐκείνῳ ἐντάξαι δόρυ, quamquam illud quidem nimis vulgatum. Hoc igitur dicendi genus imitati multifariam Romani sunt, ut Horat. Epist. I., 1., 32. Serm. II., 5., 103. Ovid. Met. III., 478. Trist. V., 11., 19. Fast. II., 765. Sed haec pauca ex innumerabilibus. Confer Drackenborch. ad Sil. Ital. IX., 451. Heins. ad Ovid. A. A. II., 28. Rarius adiicitur tamen passivi infinitivus, ut Lucret. VI., 756.; rarissime usurpatum ita *adest*. Vide Iani Art. poet. lat. p. 161. sqq. Praeterea noli cum quibusdam *deum* pro *fortuna* accipere; quam a *deo* vides seiunctam apud Statium Theb. II., 550. III., 60., quibuscum Ovidium conferas Fast. II., 783. Nihil autem usitatius, quam *deum* pro *diis* dici, ut Virgil. Ecl. I., 6. et centies.

v. 352. — 365. Leviorum morborum medela.

v. 352. *Vulneris ora.* V. ed. *orae*, quod recipiendum.] Barth. *Orae*, quae abstant, id est, hiatu quodam inter se distant, proprie dicuntur in hac re. Cels. lib. VII., 3.: *orae carnosae fiunt. os* vero ulceris vel vulneris est ipse hiatus inter duas oras, quem et *sinum* vocat Celsus.] Burm.

v. 353. *atroque*, ab Ulitio profectum, omnino recipiendum.

v. 355. *Virosam eluviem* de effuso lotio ferae intelligendum esse consentiunt omnes, id quod sequentia docent: *venas dum sucus comprimat acer.* Salsedinis virum e Plinio XVII., 9. Burmannus laudat.

v. 357. *Mortis enim.]* nam vulnere latius patente, ubi largus sanguis profluit, mors sequitur. Igitur mature comprimendum est. *Tum pura labra*, prius mundata et eluta, *monebo* circum sequendo et manu premendo *tenui filo* consuere.] Wernsd. At si ea fuisset poetae mens, ipso *purgare* verbo esset usus, quoniam primarium quoddam postulatum est, ut purgetur vulnus. Putabam olim *pura* esse pluralem nominis *pus*, ut esset sententia: Circum sequendo manu absterge *pus* circum labra. Sed lubens nunc ab ea dicendi asperitate decedo. Hoc potius modo explica poetam: *sequere labra, ita ut fiant pura*, h. e. *circum sequendo purga.* Redeundum est ad Graecorum dicendi brevitatem illam, qua *effectum* aliquem significant adiectivis. Neminem paullo eruditiorem Graecorum sermone fugiunt, quae annotavit Seidlerus ad Euripidis Electram v. 442., atque ita nominativus adeo participiorum accipiendus, ut Pindar. Ol. VI. v. 9. Boeckh. Isto ex genere commemorabo nonnulla Latinorum, quae fefellerunt quosdam eruditorum. Aeneidos lib. IV. versum 534.:

— rursus ne procos irrisa priores
Experiar,

Dido inquit, quod non est: *ab Aenea despecta*, ut commentus est Wunderlichius, sed, ut Heynius, *ut irridear.* Amat eam prolepsin Virgilius, ut Aen. I., 637.: *domus regali splendida luxu instruitur;* Ecl. III. v. 27.: *Stridenti miserum disperdere carmen?* Non dissimilis est Tibullus El. I., 3. v. 51. Catull 63., 271. Ovidius Met. I., 31. Horatius denique Carm. II., 9., 1. Ergo, quod Heinsius correxit *suta* pro *pura*, intactum esto relictum. Ceterum *includere* verbum, ut apud Senec. de ira III., 19., idem valet hic atque *claudere.*

v. 359. Difficilior est cura, ubi nimis est vulnus interclusum. Itaque contraria potius est via ingredienda. *Pascitur pernicies* est: *crescit*, ut: *pascuntur ignes* Virgilio Georg. lib. II. v. 432.

v. 360. *fallentes.* Exscindendo et amplificando vulnere latentes mali caussas et fundum laesionis detege. V. v. 236.] Wernsd. Heinsius interpungebat praeter necessitatem: *fallentesque argue caussas Morborum: vitio.*

v. 362. Considera, quaeso, primariam poetae sententiam: *facilior medicina est in origine mali.* Post eam igitur abrupta versu 361. oratio redintegratur *sed* particula, quam falso Heinsius mutavit ita: *seu tactu*, etsi Virgilio Aen. XII., 685. *seu* particulam *aut* sequitur. Repetitur similiter *sed* particula abruptus sermo et quasi recipitur apud Ciceronem ad Q. Fr. II., 3. p. 308. a: — *qui ut peroravit — sed ut peroravit.* *Δὲ* particulam ita ponunt Graeci (cfr. Matth. Gr. gr. §. 616.). Praeterea incredibilis est Burmanni hoc in loco verbositas, qui, ut vulgatam redderet suspectam, multum laboraverit. Ac tantum quidem in aprico est positum, falsam esse Iohnsoni constructionem verborum hanc: *mulcent pecuaria manibus*, *sed tactu impositis*, neque enim sine tactu manibus quispiam mulcere potest. Sed ollam auro plenam sibi invenisse visus est Burmannus, qui quum *tactu* et *tractu* scripturas vidisset hic illic ab librariis commutatas, vel *tractu* vel *tractim positis* correxit praeter necessitatem. Simplex enim et satis conveniens vulgata est. *Tactu mulcent* est: tangendo suaviter leniunt dolorem et *manibus* quidem *impositis*. *Pecuaria* dicit canes, ut *βοσκήματα* Xenoph. Cyrop. lib. VIII. Virg. Georg. III., 450. Calpurn. Ecl. V., 80.

v. 363. Picis unguentum commendat Plin. N. H. XXIV., 7. et Idaeam picem, genus praestantissimum, Virgilius Georg. III., 450. Cfr. infra v. 415.

v. 364. *Destricto.* Vulnus ipsum dicitur destrictum, quoniam fit destringendo h. e. abradendo. Leve vulnus interpretatur Heinsius et Ovidium commemorat Ep. XVI., 275. Burmannus: *Non mea sunt summa leviter destricta sagitta Corpora.*

v. 365. *Ipse.* Venatorem intellige. *Validum* peior est quorundam librorum scriptura. Quid enim opus, duplici epitheto signare salivam? *Genitale* malebat Heinsius. Sed vid. supra ad v. 135., ubi erat: *natalia arbitria*, quibuscum Burmannus confert *natale decus* apud Val. Flacc. VI., 62. Salivam autem, ieiunam imprimis, contra vulnera, ut serpentium morsus, praesidio esse Plinius docet N. H. XXVIII., 4., ubi etiam alii commemorantur usus, mystici quidem, sed idem efficaces. Itaque saliva regerebat contagia, fascinationes repercutiebat, poculis etiam amoris miscebatur, ut apud Propertium El. lib. III., 7. v. 37.

v. 366. Difficillima cura et summi ponderis, si sero paratur medicina. *Cura est altior illis* primum a Pithoeo profectum, prioribus exhibentibus: *curas altior*, id quod vitiosae librariorum debetur festinationi. Heinsius diversis scripsit modis: *illi* et: *altior omni*, posterius probatur Burmanno. Nos in Pithoeana scriptura nihil mutamus. *Cura altior* est diligentior ceteris, quae naturam morbi penitus investigare et quasi penetrare debeat. *illis* sc. curationibus, de quibus ante dixi. Sequentia sic accipe: Cum latentes morborum caussae per totum corpus malorum semina dispergunt, et sero intelligitur ad summum crevisse vitium. *Agi corporibus* simillima constructione Val. Flacci VI., 609. illustrat Burmannus: *vimque recentem sentit agi membris.* Iam vero versus 368.: *seraque aperitur noxia summa* impari et inconveniente sermonis compositione visus est laborare. In qua re duobus generibus erravit Heinsius. Nam quod scriptum ait se in

MS. invenisse: *seraque ap. n. palma*, ultimum quidem verbum e versu 362. a librario inductum est; quod vero idem dedit: *seraque aperitur noxia damno* vel *cura*, etsi Ovidio Met. XIII., 191. in MSS. *cura* vocabulum cum *summa* est confusum, nihilo praestabiliora ille ipsa praebuit vulgata. Etenim *summa* significat *vehementissimum morbi gradum*, is, quoniam *sero* cernitur venisse, nec mature curatum est malum, ipsa summa dicitur *sera*. Quare sic interpretamur cum Wernsdorfio: si extrema demum consummatione mali, sero se prodente, *aperitur*, patescit et intelligitur noxia, damnum corporis. Ita igitur si explicatus est tortuosus poetae sermo, ad illud vitium attende, quod adhuc residet, ut equidem arbitror in sequentibus:

Inde emissa lues, et per contagia morbus
v. 370. *Venere in vulgus iuxtaque exercitus ingens*
Aequali sub labe ruit —

Paene expressit Virgilium Georg. III., 468. sqq. pariter ac eiusd. libri v. 474. Apud Gratium in libris est *morbus*, nomen aperte corruptum. *Morbi* reposuit Ulitius. At vero in tam vivido et incitato genere dicendi augeatur pondus necesse est sequentis sententiae, quae hisce verbis: *et per contagia morbi v. in v.* mirifice minuitur. Nam *luem emitti* plus et gravius est dictum, quam *morbos venire.* Haec si recte sentio, ne frigeat oratio, hoc a Gratio profectum putamus:

Inde emissa lues et per contagia m o r t e s
Venere in vulgus —

id est: multorum ruina venit in vulgus. Non audacter vel temere induxi *mortes* vocabulum, quod reperitur etiam apud Ovidium Met. XI. v. 538. Vide et Statium Theb. IX., 85. Iam, qui legent usque ad versum 374., animadvertent quam incitatum et amplum ponderosumque genus versuum ad horrorem misericordiamque adducant ani-

mum. Versu 370. *venire* verbum de ortu formidabilis et communis calamitatis dici, ut Lucret. VI., 1129. Virgil. Aen. III., 138. Nemes. v. 203. notavit Wernsd. *Omnia igitur corruunt pessumdata. Iuxta* vox amplificatur verbis *aeq. sub labe. Mann bei Mann stürzt in gleicher Vertilgung.* — Itaque *aequalem* intellige ὅμοιον, communem, nulli parcentem.

v. 371. 372. Nec vires nec meritum ac virtus quicquam valent, nec precibus efficitur spes ulla salutis. *Exire precanti* coniunxit Wernsdorfius hoc modo: *qui precetur posse hoc malum effugere.* Nos expeditiorem reddimus structuram, iungendo: *aut precanti spes est exire,* h. e. *sperare effugium licet.* Cfr. ad v. 197. 495.

v. 373. Virgilium in eo etiam videtur imitari, quod auctorem mali nominat Proserpinam. Cfr. Georg. III., 551. Quaevis calamitas, a diis iratis immissa, ab inferis oriunda dicebatur. Cfr. Virg. Aen. III. v. 215. Ergo recedimus aliquantulum docto ab Wernsdorfio, qui ideo putat Proserpinam nominatam auctorem mali, quia haec est Hecate, cui potestas in canes attributa. Nihil autem praeclarius Iohnsoni coniectura, qua versu 374. *Furiis* reposuit pro *furtis* vel *furtim.* Prius exhibent Aldina a. 1534., Steyneriana et Gryphiana a. 1537., posterius a Pithoeo videtur natum. Ea quidem pravitate scripturae factum est, ut Pleminium Actaeonemque Burmannus autumaret designari. Relinquamus istas ineptias. *Furiis* delictorum poena committitur, ut apud Virgilium Georgicis III. v. 548.. atque de Tisiphone legimus Ovidio Met. IV., 484. eodem munere fungente: *Luctus comitatur euntem Et Pavor et Terror trepidoque Insania vultu*, ut Homer. Il. δ'., 440. Δεῖμός τ' ἠδὲ Φόβος καὶ Ἔρις. Cfr. Silium Italic. II. v. 550. Itaque *iram ulciscitur* intelliges, si vere explicaveris *iram* vocabulum. Illam enim pro *vindicta* poni, notavit Bremius ad Cornel. Nep. Alcibiad. c. IV. §. 6.

Ergo sententia est: *iram s. vindictam explet, quae Furiis data et quasi commissa est.* Quam igitur supra ad v. 144. locutionis brevitatem commemoravimus, eandem hic habes. Est enim *vindictam sumendo ulciscitur* etc. Alio modo Wernsdorfius explicat verba, qui *commissam iram* dixit esse *commissis vel peccatis promeritam* et comparat versum 455.

v. 375. Comparare licet Nemesian. Cyn. v. 211.—216. Horat. Carm. III., 23. v. 8. et Ovid. Met. VII., 528. Lucret. VI., 1123. Voss. ad Virgil. Georg. III., 418. p. 652.

v. 376. Male accipiebat Casp. Barthius *honores* pro animalibus. Dicitur *honor terrae* quodcunque venustatem illi ornamentumque praebet. V. Horat. Carm. I., 17. v. 16. Satir. II., 5., 13. Virg. Georg. II., 404. Itaque *fruges* vere intellexerunt alii.

v. 377. Similiter Virgilius Georg. III., 213. de armentis furore correptis: *atque ideo tauros procul atque in sola relegant pascua, post montem oppositum et trans flumina lata.* Comparandus Columella VII., 5. Ovid. Art. II., 487. Hypallagen verbis *altas valles* inesse ratus est Ulitius; contra commodissimum est, quod a Burmanno notatur, *valles* dici poetis pro *montibus*, ut *altae Idae valles* Ovid. Epist. XVII., 115. XVI., 53. Lucanum adde VI., 293.

v. 379. 380. Non temere spernendum censeo, quod vetustis legitur exemplaribus perscriptum: *tunc ficta valebunt auxilia. Dicta* coniecit Ulitius hic et ad Ovidium Met. IX., 744. Sed prius commemorata auxilia nihilo minus sunt *dicta. Ficta* vero h. e. *artificiosa* auxilia contraria sunt naturae ipsius medelis; opponit enim naturae artem suam. Tum plane non erat, cur *quondam* corrigeret Iohnsonus. *Quidam* pro *aliquis* saepenumero positum.

v. 381. Sed varii sunt motus et progressiones morborum, nec earum una eademque vis est. Quare disce vicissitudines eorum et variationes, et quam proximam paratissimamque habes medicationem, tenta. V. v. 391.] Wernsd. *Motus* dici *morbos* docuit Heinsius ad Vell. Paterc. II., 123. *monitus* Burmannus coniecit.

v. 383.—407. Rabies quomodo expellenda sit, docetur, eaque duplex est curatio, naturalis (usque ad v. 398.) et superstitiosa (ad v. 407.). V. 383.—385. *In catulis rabies vehementissima est, et iis, qui tardiores sunt in curando, nec celeriter succurrunt, insanabilis vimque letalem accelerat. Tutissimum igitur, praevenire malum auxiliis et eius principia vincere.* Ita fere Wernsd. *Plurima* v. ad v. 30. *Tardum* in medicando describit Virg. G. III., 455. Displicuit Iohnsono *sic*, utpote languidum, refinxit igitur: *praecipita l. m. maturius ergo.* Sed refertur *sic* ad praecepta sequentia.

v. 386. *Subit*, occulte gliscit, ad ligamenta vel radicem linguae, vermiculus, qui describitur a Plinio N. H. XXIX., 5.: *Est vermiculus in lingua canum, qui vocatur a Graecis lytta: quo exempto infantibus catulis nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt. incondita pestis*, maligna et horrenda.] Wernsd.

v. 388. Vetustam lectionem *praecepit* revocavit Wernsdorfius, quam olim Gronovius ad Liv. VII., 26. mutavit in *percepit*, probante Iohnsono. Vid. Lambin. ad Lucret. III., 80. Apud Lucretium et Plautum Amphitr. V., 1., 66. *percipere* est *penitus capere*, quod non convenit vermiculo. Itaque, quod verissimum est, *praecipere* ubi de aestu usurpatur, est praefocare, constringere, arefacere, et sic — Wernsdorfium enim sequi placet — anginam cum siti et aestu coniunctam exprimit, quam vermiculus in canibus creat. Addit Wernsd. Virg. Ecl. III., 98. Ovid. Fast. IV., 940. et comparat Calpurn. IV., 115.

v. 389. *Vibrans.* Ita ex coniectura Gronov.; olim *vibrant* nullo sensu.] Iohns. Ceterorum coniecturae vanae omnes. *Ardentem spiritum ducens* bene interpretatur Wernsd. *amatam* i. e. consuetam, ubi versari solet, optime restituit Ulit. Wernsdorfius adiecit Horat. Carm. I., 30. *sperne dilectam Cyprum.* Superadde Valer. Flacc. VII., 125. 126.

v. 392. *Vertere*, h. versi sunt.] Wernsd.

v. 395. Salis medicina ab omnibus commendatur agriculturae scriptoribus, Columella VII., 8. Aristot. hist. an. VIII., 10., quos laudat Vossius ad Georg. p. 681. *purum* est ab omni corruptione tutum, ut putredini possit adversari, vel propter expiationes, ut apud Ovidium Fast. I., 338. Tibull. I., 5., 11. De quo videndus Eustath. ad Il. *ά*, 314. *tenui* non qualitatis, sed quantitatis esse, ut 475. et 522., notavit Ulitius. Sed non convenit v. 475.

v. 396. Ante quam nox plena ingruerit, ecce aderit rursus, qui ante fugerat, et coenanti tibi blande assistens patulo ore cibum petet.] Wernsd.

v. 399. Remedia commemorat ex illo genere, quam sympathiam hodie vocamus. Eam tum propriam artis medicae apud veteres, tum mirum quantum ad, superstitionem accrevisse verisimile est. Ac veteres quidem quantum eiusmodi rebus astricti fuerint, ex Catone potest intelligi, quem Vossius laudat ad Georg. III. p. 670. Plura commemorat Plinius Naturali Historia. Omnino autem magorum ars, etsi saluberrimis orta initiis atque cum medicina arcte coniuncta, uti a necessariis orta pervenire ad nimium solent, in tantum erat Plinii aetate evecta, ut medicinae videretur fidem abrogare, ipso testante lib. XXIV. c. 4. Duplex est autem genus superstitionis, alterum vano ac puerili metu proseminatum, alterum, quod in divinarum rerum quadam verecundia

cernitur quodque non vanitatis, sed relligionis videtur plenum esse. Utri addictus fuerit Gratius, sponte intelligitur, in quo etsi pia plenaque deorum omnia, nullum tamen anilem invenies metum. Itaque sapienter pristini aevi medica in arte simplicitatem laudat versibus 399.—401. Delevimus interpunctionem ab Wernsdorfio post 401. inductam. Tum versu 399. falso putamus ab omnibus *aevi* commendari scripturam, nec tanta est librariorum apud Ovidium auctoritas Art. A. III., 657., ubi *longum redimendus in aevum* optimi libri praebent, ut spernendus Burmanno fuisset Ulitius verissime monens *diem etiam* saepe a poetis dici pro aevo et tempore. Sed plane nullum est argumentum, quod Ovidio Art. I., 241. legitur: *aevo rarissima nostro simplicitas.* Adhibuit pro *aevo annum* Propert. IV., 5. v. 57. quocum conferas Virgil. Aen. II., 638. Constructio autem ita se habet, *non illa solatia tamquam solatia falsi metus tam longam tr. f.*, h. e. non illa remedia falso ab metu aut vana relligione Deorum sunt inventa: alias fieri non potuisset, ut tam longo tempore fidem haberent. Ita Wernsd. Ceterum, quod *simplicem annum* de puerorum aetate Burmannus intellexit, puerile re vera est. *trahere* verbum de *producendo longum per spatium* dicitur. Val. Flacc. I., 764. attulit Burm.

v. 402. *Collaribus*, id est cingulo circa collum canis, ex corio firmo, ut describit Varro de R. R. lib. II. c. 9., idem insui iubet pellem mollem. Huic usui igitur pellem melinam, e qua et galeas sibi conficiebant venatores (vid. v. 340.), praecipue adhibitam probabile est. Nam apud Varronem in vulgatis legitur: *collaria*, *quae vocantur maelium.* Hic vero apud Gratium an *cristae melis* notare possint eius pellem, ut statuere Ulitius videtur, (quamquam nullus interpretum id vocabuli satis explicare audet) merito dubito. Ob difficilem explicatum eius vocis Burmannus tentat, an legi possit *côstas* pro exuviis; Scaliger autem *crustas* maluit. Sed et istud vocabulum vix aliquo

loco pro pelle positum reperiatur, et *crustae vestes*, quae Cod. Theod. lib. XV. tit. 7. l. 11. occurrunt, quasque Gothofredus exponit variegatas vel purpura mixtas, huc applicari non possunt. Accedit, quod Gratius non nude praecipit, collaria ex pelle melis conficienda, sed his aliquid inducendum, addendum vel includendum, quod valet ad amoliendos morbos. Itaque sic statuo, cristam gallinacei significari, cui vis magica tribuatur, et verba *lucifugae melis* referenda ad *collaribus*, ut his tantum collaria ex pelle melis confecta describantur. Ab gallis multa remedia morborum petiit vetus superstitio. Exta gallorum et fibras, ut opimas victimas, Diis acceptissimas esse tradit Plinius lib. X., 21. Aesculapio gallum solvebant, qui convaluissent, et pro avertendis morbis cristam galli Laribus oblatam esse, clare testatur Iuvenalis Sat. XIII., 232.

— — — — pecudem spondere sacello
Balantem, et Laribus cristam promittere galli
Non audent.

Cristam galli contritam efficaciter imponi cani, morso ab alio rabioso, scribit Plinius lib. XXIX. c. 5. §. 32. Iam quae valere ad morbos avertendos, in primisque mederi credebatur morsui venenato, id facile credas, collari insertum pro phylacterio eiusdem habitum. *Cristas* autem nude dicit, quamvis gallinacei intelligat, quia huius avis praecipue dicuntur cristae, unde cristatae aves galli Martial. lib. XIV., 223. Vix crediderim alia ratione melius expediri Gratii locum posse. De mele dictum est ad v. 3.. *Lucifuga* dicitur, quod hoc animal noctu maxime grassatur. *Inducere* valet insuere, vel includere. Et sic corrigere volebat ipse Ulitius.] Wernsd. Excurs. V.

v. 403. Vult monile ex conchis nexum pro collari collo circumdari. Per *sacras conchas* innuit Veneri dicatas, quas Venereas dicunt teste Plinio XXXII., 1., minusculas tamen, quae commode in monilia conserantur.] Wernsd.

v. 404. *Vivum lapidem* appellatum esse *πυρίτην* Plinius et Isidorus tradunt.] Wernsd. Effodiebatur in Cypro insula et Acarnania. *Melitesia n. curalia.* Melite insula inter Africam et Siciliam. Hodie Malta; *προκεῖται δὲ τοῦ Παχύνου* Strabo. lege potius cum Ulitio *Melitensia*, nam sic Lucretius IV., 1124.] Iohns. Curalia Plinius scribit N. H. XXXII. c. 2. gigni apud Indos, in rubro Persicoque mari. Laudatissimum fuisse curalium in Gallico sinu circa Stoechadas insulas et in Siculo circa Heliam ad Drepanum. Formam esse ei fruticis, colorem viridem. Aruspices Indorum vatesque imprimis relligiosum id gestamen amoliendis periculis arbitratos. Baccas eius, candidas sub aqua et molles, exemptas confestim durari et rubescere. Idem dicit Ovidius Metam. XV., 416. Itaque occupari illa, Plinius inquit, evellique retibus aut acri ferramento praecidi. Hac de caussa curalium vocitatum, *ὅτι ἐν ἁλὶ κυρεῖται*. Bene igitur ita nomen restitutum ab Heinsio ad Ovid. Met. IV., 750. Libri omnes antiqui *coralia.* Hodio curalia animalculis originem debere creduntur, scribit Gierigius ad Ovid. l. l. et confert Müllerum ad Linn. Syst. Nat. T. VI. p. 643. sqq.

v. 405. *adiutas* restituit Ulitius ex principe editione. Perperam Pithoeus *adiutant* et Casp. Barth. *adiurant* edidere. *Magicorum* igitur *cantuum* vim contra morbos disces e Plinio XXVIII., 2. Eas incantationes antiquissimas apud Romanos fuisse, XII. tabularum testimoniis apud Plin. l. l. evincitur. *Carmina* dicta sunt cum alibi, tum a Virgilio Ecl. VIII., 68. *ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin. Carmina vel coelo* etc. Quae quidem formulae magicae murmure proferebantur magico quodam. Broukh. ad Tibull. lib. I. el. 2., 47. Atque artem illam a Zoroastre ortam Thessalis fuisse feminis prae ceteris propriam Vossius monstrat ad Virg. Ecl. VIII., 68. Itaque formulae incantamentorum istae herbis addiderunt quibusdam aut salubrem aut letalem. Primi, Plinius inquit,

magicas herbas in nostro orbe celebravere Pythagoras atque Democritus N. H. XXIV., 17. Adeundi praeterea Meursius spicileg. ad Theocrit. Idyll. I. p. 8. Burmann. ad Val. Flacc. VII. v. 390. Nec sacrificia deerant istis in artibus factitandis. Hinc est, quod *magicos deos* appellat Lucanus Pharsal. v. 577. et Tibull. I., 2, 62. *Magico Iovi geminat Stygialia sacra* reposuit Scaliger ad Virgil. Cir. v. 374., *magico* videlicet *ritu celebrato*.

Itaque hac relligione placabantur Dii, morborum ut vim arcerent. Hoc vult sibi Gratius versibus 406. 407. *oculique venena maligni*. Pervulgata fuit superstitio veterum ipso obtutu oculorum ab infesto aliquo magico veneficium posse fieri hominibus pecorique. Vide de ea re Vossium ad Virg. Ecl. VIII. v. 103.:

nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos

et: *noxios invidiae oculos* ex Appuleio et Horatium Epist. lib. I., 14. v. 37.:

non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
limat

commemorat Barthius. Cfr. Markland. ad Stat. Silv. IV., 3., 16. *Maligni*, quia fascinare credebantur. Contra noxas autem istas a fascino tuebantur sese amuletis ante memoratis. Ceterum verba struenda in hunc modum: *Vicit pax tutela deorum impetrata pacem*. intellige favorem redditum. Denique, si displicet pro *offectus* scribere *affectus*, illud prius, ab *officere* factum, ut peculiare dandum est poetae.

v. 408. *Si deformis scabies* corpus ita pervadit, ut *dulcedine*, h. perpetua scabendi libidine, quasi laceret, hoc pessimum malum est, quod lentam quidem, mortem tamen affert.] Wernsd. Verissime interpretatur. *Salsedine* volebat Iohns. humorem salsum intelligens, qui impellat canes ad corpus suum lacerandum. Audacius est,

quod *porrigine* scripsit Graev. Epist. Syll. IV. p. 295. Verum est, quod *dulcedinem* pro scabendi libidine explicat Wass. ad Sall. Cat. c. 4. Idem *deformis* reposuit. Iungenda sunt: *lacerum dulcedine corpus. via leti longi* h. e. *lenti. via*, ut Virg. Georg. III., 482.

v. 410. Etsi tristis est medicinae accessus, melius tamen, unius nece amoveri malum, quam ut pereant innumerabiles. Similiter lue pecudum ingravescente Virgilius iubet Georg. III., 464.—469. continuo ferro compescere morbum, priusquam:

Dira per incautum serpant contagia volgus.

Quibus in verbis, uter poetarum imitatus alterum sit, inutile est quaerere. Tantum quidem apertum credo, Gratium hoc versu a Virgilio nec sententiarum pondere, nec verborum vi numerisque superari.

v. 411. *sequaci*, quod persequitur alios, Burmannus explicat, comparans ille Virgil. G. IV. v. 230. et Calpurn. Ecl. I., 31.

v. 412. *trahant*, attrahant, concipiant.] Barth. Dicitur *trahere* de morborum contagiis lente serpentibus, quae sensim sensimque imbibuntur, ut:

— *omniaque in se*
Ossa minutatim morbo collapsa trahebant

Virg. Georg. III., 485. *Vitium trahere* est apud Plin. N. H. XXXII., 10. et *traxi contagia* Ovid. Trist. V., 13. *Vulgo* vetus editio. Depravatum hoc est ex *vulgō* h. e. *vulgom* vel *vulgum*, quod nunc omnes praebent. Itaque ab illius significatione verbi *trahant* recessit Gratius parumper; namque hoc loco *vulgus trahitur ipsum*, h. e. paullatim pessumdatur.

v. 413. Nolumus relinquere vulgatam: *et promovet ortu.* Aptanda igitur ita verba: *et ortu clemens — pro-*

movet, h. e. promovetur, ut millies (vid. Terent. Eunuch. V., 3., 3.). *ortu clemens*, qui, dum oritur, lenius pellit, ut facile per spatia curari queat.

v. 414. *Disce vias*, methodum curandi, et qua fieri potest arte id malum *exire.]* Wernsd. Melius olim Burmannus dictum *exire*, inquit, qui vitant corporis declinatione ictum alicuius teli. Ergo sumpta est vox ab re gladiatoria, ut apud Virgil. Aen. V., 438. XI., 750. Lucret. V., 1329. Confer tamen supra v. 372.

v. 415. *Viro* omnes libri usque ad Iohnsonum. *Virus* pro *veneno* a Titio, pro *sulphure* a Barthio acceptus. Pro *scabie* accepit Ulitius et *medicata* sanantia exponit. Neque tamen *odoratum* potest cum viro consociari. Igitur *vino* vere et cum ratione reposuit Iohnsonus, *medicata* est enim medicorum more composita et concinnata. Tincta sunt igitur vina et incocta vino bitumina. Ceterum Virgilio G. IV., 279. Ovid. Fast. III., 301. Bacchus idem *odoratus* vocatur (εὔοσμος, εὐώθης). Praeterea attulit Burmannus Veget. Art. Veter. III., 71. *sulphur cum vino decoctum iuvat*, et Varr. R. R. III., 9, qui bonum et odoratum nominat. Est autem *bitumen* terrae genus pingue, sequax, lentum, sulphurosum, cuius vis est secundum Plinium XXXV., 15. eadem, quae sulphuris, ut discutiat, contrahat, glutinet. Itaque, versu 416. quod unguentum describitur ex pice et amurca, h. e. sordibus olei, in memoriam revocat simile genus unguenti, ex amurca, spumis argenti, sulphure, pice et cera concocti, quod Virgilius Georgicis III. v. 450. contra ovium scabiem commendat, quocum cfr. Plin. N. H. XXXIII., 6. Calpurn. V., 78.; amurcam vero scabiei mederi ex Catone R. R. c. 96. docet Wernsdorfius. Plinius autem N. H. XXVIII., 18. canum scabiem sanari docet bubulo sanguine recenti.

v. 417. Huius et prioris versus distinctionem et correctionem ita formavit Ulitius:

Idae-

Idaeasque pices, immundaeque unguen amurcae
Miscuit, et summam complectitur ignis in unam.

Heinsius dedit: *Impone atque pices* vel *fraces.* Scaliger: *Mygdoniasque* vel *Maeoniasque.* Nihil his opus. Tum scrupulum dedit *miscuit* verbum; ideoque *Miscet id* a Barthio, et *Miscet et haec summam* a Burmanno correctum est. Tu bona fide retine vulgatum *miscuit*, in quo videlicet *ignis* inest subiectum. Ignis nimirum varias unguenti partes coquit et in unam complectitur massam. Ne offendas autem in eo, quod eodem versu tempora immutantur eiusdem subiecti (*miscuit — complectitur*), id quod metrorum caussa a poetis saepissime commissum. Similem autem sententiam vid. apud Nemesian. Cyn. v. 226.

v. 418. *Est ira coërcita.* Non dubitat Barthius, veram esse scripturam: *atque ira coërcita;* Scaliger legebat: *stat ut ira.* Uterque peius libris vulgatis, in quibus breve et coactum loquendi genus in medicaminum descriptione vim habet quandam ad augendam fidem.

v. 419. Vix ferri potest antiquorum exemplarium scriptura: *quae te, natura, timentem differat.* Ulitius astipulatur Iohnsono, qui dedit: *quae te ne cura* i. e. curatio. Malebat sic Scaliger: — *ast ira coërcita morbi! est, laxatusque rigor, ne te ventura timentem Differat,* h. e. ne blandiens principium medicaminis te timentem etiam, quae sequi possunt mala, diu distineat et incertum reddat. Ita fere priores. At enim verba haec significare nequeunt. Fortassis pauca admodum corrigenda in vulgata erunt. Quis enim dubitet, sententiam fere hanc esse: Impetus est morbi repressus, quem qui timet, is ne differatur ab natura, h. e. in longius tempus vexetur, pluvias et tempestatem vitent canes. Cavendum est igitur, ne natura corrumpat iterum, quod arte erat correctum. Scribe igitur:

quae ne natura timentem
Differat.

id esto: quae timentem ne n. d. Rarior vox est *differre* de diuturna vexatione, sed Gratius minus usitata amat. Imber et gelu apud Virgilium quoque Georg. III., 441. et Columellam VII., 5., 5. valetudinis armentorum impedimenta sunt. De Cauro cfr. ad v. 296.

v. 421. *Sic magis.* Strictior loquutio pro: *fac potius, ut.* Similiter est dictum supra v. 384.: *sic tutius,* et Ovidio Fast. IV., 354. *tum magis.* *hic magis* probat Iohns. In sequentibus nec Barthii nec Heinsii probamus coniecturas. Melius tamen aliquantulum Wernsdorfius refinxit verba: *ut nudis incumbant vallibus aestu,* h. e. calido die et aversi de vento. Hic ergo ad canes retulit *incumbere* verbum. Sed caute debes tortuosum Gratii genus scribendi coniectura tentare. Vide, num retineri vulgata possit. *ut aestus incumbunt vallibus,* h. e. *ubi aestus in vallibus sedem suam quasi propriam habent.* Sunt autem *nudae valles* eae, quae liberae ab arboribus sepibusque sunt umbrisque carent, ut aestus illis facile inhaereat. Contrarii igitur, ut Burmannus annotavit, *nudi campi* Ovidio Trist. III., 11. v. 75. *umbrosis vallibus* apud eundem Art. Am. I., 289. Tum vero reprehendendum omnino est, quod cum Heinsio correxit Burm.:

Sic magis, ut nudis incumbant vallibus, aestu
Ad ventos, clarique faces ad solis, et omne
Exsudent vitium. —

quasi ad ventos se et solem canes debeant exponere. Igitur, ut aliquid viderentur interpretati esse isti, ex Horatio adduxere Carm. I., 23. v. 6. *Ad ventum,* scripturam fictam a Bentleio, et tepidos serenosque ventos intellexere, ne quid coniecturae videretur repugnantiae inesse. At mehercle inest. Versu enim 420. aperte declaratur, ventorum flatus evitandos esse, et Virgilius Georg. III. v. 318. docet, frigus ventorum arceri ab armentis debere. Itaque *a vento* recubent aversi, oppositi vero *ad faces solis.*

v. 423. *Exsudent. Exsudet v.* Heinsius correxerat. Utrumque recte dici Burmannus docuit Servium sequutus ad Georg. I., 88.

v. 424. *Subeatque latent. vadis*, h. e. intimis recipiatur et diffundatur venis, quae sunt quasi sanguinis rivi. Sic Curt. III., 6., 11. *patere medicamentum concipi venis.]* Wernsd.

v. 425. *Nec tamen* ille minus secundo successu curabit, qui catulos vicino mari merget. Oves etiam tonsas vel scabiosas mari mersare iubet Colum. VII., 4., 8. Pallad. VI., 8.] Wernsd.

v. 426. *facilis in artes* recte verba coniunxit Iohnsonus. Dixerat enim supra *nec expertes fallet Deus*, et similiter v. 498. *in* adhibuit praepositionem. Paean, sive est Apollo sive Aesculapius, paratus ubivis et benignus est aegrotantibus. Itaque ne *facilis in artes* verba accipias aliter ac de favore dei in morborum curatione. Falso de venationis studio cogitavit Burmannus.

v. 427.—430. Innumerabiles igitur ab experientia, omnium rerum magistra, fructus redeunt hominibus assiduis, multa tentantibus et agentibus. *Quantam* primus correxit Barthius, omnibus approbantibus. Tum *curent* vere cum *vulgo* Burmannus coniunxit contra Iohnsonum. Grati sunt fines, qui rependant laborem pretio. Cfr. v. 74. [Barth.] Denique *prendere fines* sumpta loquutio ab meta, quae in curriculo tangitur. Exempla congessit Burmannus notis ad Val. Flacc. VII., 83., Statium Silv. I., 2., 203.: *coeptique laboris prendisti portus;* Ovid. Amor. II., 9., 31.: *prensa tellus. Agitando* vocem ab agitatione curruum in hippodromis deduxit Iohns., ab agendo, meditando, exercendo Burmannus, qui attulit Ovid. Fast. II., 291. Manil. III., 27.

v. 430.—466. De digressione horum versuum persuasum est mihi, non posse illam nisi serius a Gratio carmini esse insertam. Aliquoties enim (ut v. 429.—430. v. 466.—468.) adeo interrupta est sententiarum perpetuitas, vix ut librariis imputari ista possit perturbatio. Iam vero, quod proprium intelleximus Gratii esse rebus in historicis rerum reconditarum et minus notarum studium, idem hoc loco invenies. In Sicilia, ait, speluncam esse ingentem, silvis circumsitam tenebrosis montiumque saltu aquoso horridam. Eam Vulcano sacram esse atque olei vividi intus lacum sedere. Adesse ibi pastores cum aegrotantibus armentis, morbosque, sacris rite peractis, prodigiosa medela expelli. Rupto enim monte nescio quid monstrum flammas inter tempestatemque apparere; quo quidem praesente bonis promittitur salus, scelerati contra diris expelluntur minaciis. Eam rem verisimile est a Siculis poetam audisse, id quod versu patet 443. Rem mirabilem nemo, praeter Gratium, descripsit. Lacum vero vel fontem potius in agro Agrigentino, in quo liquidum bitumen supernatet, commemorat Strabo apud Salmasium ad Solin. p. 89.: *περὶ Ἀκράγαντα δὲ λίμναι τὴν μὲν γεῦσιν ἔχουσι θαλάττης, τὴν δὲ φύσιν διάφορον. Οὐδὲ γὰρ τοῖς ἀκολύμβοις βαπτίζεσθαι συμβαίνει ξύλων τρόπων ἐπιπολάσουσι.* Eundem fontem Athenaeus lib. II. c. 17. §. 42. in ea Siciliae parte posuit, quam Carthaginienses tenuere: *ἁλμώδεις δὲ ἅμα τῷ ὄξει ἐν Σικανοῖς τῆς Σικελίας. Ἐν τῇ Καρχηδονίων δὲ ἐπικρατείᾳ κρήνη ἐστί, ᾗ τὸ ἐφιστάμενον ἐλαίῳ ἐστὶν ὅμοιον, μελάντερον τὴν χρόαν, ὃ ἀποσφαιροῦντες χρῶνται πρὸς τὰ πρόβατα καὶ τὰ κτήνη.* Plane congruit igitur Plinius N. H. XXXV., 15.: *Gignitur et pingue liquorisque oleacei in Sicilia Agragantino fonte inficiens rivum. — Utuntur eo — ad scabiem iumentorum.* Conf. Aristotelem Admir. c. 52. et Salmasium ad Solin. p. 90. sq. Sed isti nihil de Vulcani domo. Aelianum attulit de anim. lib. XI. c. 3. Wernsdorfius Exc. VI.: *Ἐν Αἴτνῃ ἐν*

ἄρα τῇ Σικελικῇ Ἡφαίστου τιμᾶται νεὼς, καὶ ἔστι περίβολα, καὶ δένδρα ἱερὰ, καὶ πῦρ ἄσβεστόν τε καὶ ἀκοίμητον, qui locus aliqua ratione cum Gratio conveniat. Ex his igitur locis, Gratii addita descriptione, Solinum polyhistorem composuisse sua facile adducor ut credam. Qui cap. 5.: *In lacu Agrigentino*, inquit, *oleum supernatat; hoc pingue haeret arundinum comis de assiduo volutabro, e quarum capillamentis legitur unguentum medicum contra armentarios morbos. Nec longe inde collis Vulcanius, in quo qui divinae rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem: cum prosicias intulerunt, si adest deus, si sacrum probatur, sarmenta, licet viridia, sponte concipiunt et nullo inflagrante halitu ab ipso numine fit accendium. Ibi epulantes alludit flamma, quae flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit: nec aliud est, quam imago nuntia perfecti rite voti.* Itaque prodigium illud utcunque se habet, ad speciem terrae naturalem totum est referendum. Lacus erat in Sicilia bituminosus, Asphaltitae similis, cuius in propinquo ignem sponte concipiebat tellus. Quippe vulcanorum plena fuit Sicilia. Similia sunt autem, quae de Gnatia sive Egnatia, Apuliae oppido inter Barium et Brundusium, commemorat Horatius Sat. I., 5., 97.:

— *dein Gnatia lymphis*
Iratis extructa dedit risusque iocosque;
Dum flamma sine, tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit —

quibuscum Plinium confer N. H. II., 107.: *in Salentino oppido Egnatia imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam exsistere.* — In eiusmodi igitur locis vestigia et quasi incunabula reperiebantur deorum et mira quaedam in his Siculis fuit relligio. Quid lacum commemoremus propter Ennam urbem positum, qua Ditem ferebant abreptam virginem secum asportasse Proserpinam, ubi ad Ciceronis usque aetatem festos dies anniversarios

egebant celeberrimo conventu Siculi (Cic. in Verr. IV. c. 48.). Huiusmodi autem loca, quae sponte ignem concipiebant, Vulcano veteres sacra ducebant, quod monuit etiam Salmasius Exercitt. Plin. p. 90. Hinc fabulati sunt, ignem sponte in aram decidentem sacrificium incendere. Cuius opinionis vetustatem facile inde cognosces, quod apud priscas gentes arae non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incenderet altaria. Ne multa, totum miraculum recondita relligione observatum et Siculorum ore pervagatum fuit.

v. 430.—434. Ex iis, quae supra diximus, apparet quam dubia fide Aetnam intellexerit Ulitius.

v. 431. Non erat, quod Heinsius mutaret vulgatam *reditus.* Scripsit ille: *introversum aditus.* Rectius Iohnsonus interpretatur *reditus* vocem per *flexus.* Tum *moenia silvae premunt* est: ingens silvestrium structura saxorum murorum instar presse circumiacet.

v. 432. *ruptos fauces* erumpentes sese, effusos, ferventes ebullientesque vere interpretatur Iohns. Ita Virgil. Georg. III., 428. IV., 368. Male in mentem venerunt Burmanno *abrupti amnes*, ut Sil. Ital. III., 196., ubi scriptura est dubia. *Fauces* de hiatu fluviorum dictae, ut Sil. It. XII., 127. Plin. N. H. V., 9.

v. 433. *Vulcano condicta domus.* Totus locus dicitur *domus.* Propert. IV., 4., 5.:

Silvani ramosa domus,

Virgil. Aen. I., 168.:

— *Nympharum domus.*

condictam vocat, utpote communi omnium consensu dedicatam.

quam subter eunti stagno sedent, dativum notamus Graecorum sermoni assimilatum. Herodot. II., 11. ἀπὸ

Ἐλεφαντίνης πόλιος, inquit, *ἄνω ἰόντι ἄναντές ἐστι χωρίον* etc. Vid. Matthiaeum Gr. gr. §. 388. b. Sic Calpurn. Ecl. VII., 33.: *Sic tibi planitiem — ambit arenae*. Quod monuimus iccirco, ut irrita fiat Heinsii correctio: *qua sulphure inunctis*. Incredibiliter lapsum vides Burmannum, qui *eunti* ad Vulcanum retulerit.

v. 434. *sedent. sedere* dictum est de rebus pressis et quae humili loco positae sunt. Exempla congessit Heinsius ad Silium Ital. V., 583. *Venis oleoque ἓν διὰ δυοῖν*. Itaque *vivum oleum* recte cum aliis interpretabere bitumen sive naphtham, quemadmodum occurrunt ista in Averni descriptione Silio Ital. XIII., 133. Comparat Burm. *vivum lapidem*, *vivam aquam*, *vivum sulphur*, similia.

v. 435. *Defecta*. Ad defectionem adacta.] Barth. *mala*. Ita *malam pestem* dixit supra 387. et ita *ignem malum Iovis* Statius Silv. V., I., 152. pro *noxio*.] Burm. Cfr. Virg. Aen. III., 398. *Vidi*. utrum ipse viderit, an fando audiverit, nihil pertinet ad poetam. Frustra in his laborarunt Ulitius Burmannusque.

v. 436. *graviore*. malo, videlicet, quod gravius est illis, quae humana possunt arte expelli. cfr. vv. 349. 350.

v. 437. Contortum est, quod plerique docent, ita verba construenda esse: *Te primum*, *Vulcane*, *incola sancte loci*, *pacemque Tuam precamur*, videturque ita *loci* nomen vi destitutum omni. Saepenumero *loci* vocabulum adiicitur adverbiis per pleonasmum aliquem, ut: *inde loci* Lucret. V., 439. pro: *inde ab eo loco* vel mero *inde*; *ibidem loci* Plaut. Cist. I. v. 56. Vechnerum confer Hellen. I. part. II. c. VI. p. 180. Heus. Itaque, nisi fallor, *primum loci* est iungendum, quasi dixerit: *primo loco*, *ante omnia*, *Te precamur*, *Vulcanum*. Vulcanum itaque primum implorabant, utpote *θεὸν ἐπιχώριον*. Addit Burmannus: solitos fuisse veteres unum semper deum precari

primum, ut res et locus postularit, Servium laudans ad Virgil. Georg. III. v. 10. 20. Hinc *incola* nomen nude positum ad locum istum sacrum referendum et domum, quam habitabat. Ceterum non est, quod moneamus, haec omnia usque ad v. 441. pastorum precantium verba esse.

v. 438. Amplectenda videtur Burmanni correctio: *des lapsis.* Vulgatam vitiosam iudicamus. *Ultima auxilia* maxima sunt, ultra quae non alia sperare licet. Relicua explicavit Wernsd.: *Si nulla est noxia*, nulla culpa nostra, *meriti tanti*, quae tantum malum meruisse videatur.

v. 440. *miserare* bene videtur Titius revocasse, probante Heinsio ad Ovid. Trist. II. v. 638. Vere enim negant, *misereri* cum accusativo coniungi. De cuius verbi structura vid. Drakenb. ad Sil. XI., 381. Munker. ad Hygin. 98. Burmann. ad Quintil. Decl. 372.

v. 441. 442. Observandum, *ter* numeri vim et religionem quoties expresserint veteres poetae in ritu sacrorum describendo, velut Calpurn. Ecl. XI., 63., Virgil. Ecl. VIII., 74. Praeterea eisdem veteribus displicebat vocabulum finitum spondeo in pede hexametri quarto, qualem veterum exemplarium scriptura praebet: *ter quisque vocantes.* Contra *ter* numero repetito augetur pondus sententiae et via paratur ad maiora. Mirifico autem modo Burmanno accidit, ut *pinguia tura* de ingenti copia intelligeret, quemadmodum *pingue aurum* extat apud Persium Sat. II., 52. *Tus* per se *pingue* dici, poterat ex Ovidio discere Ep. ex Pont. II., 3. De more *struendi* altaria i. e. tegendi arborum ramis fertilium, quae Graecis est *ἱεροβοτάνη*, plura addidit Servius ad Virgil. Aen. XII., 120. et schol. ad Horat. Carm. IV., 1. v. 7. Nimis est autem antiquum obsoletumque *struere* verbum hac quidem significatione, etsi legitur Virgilio Aen. V., 54.: *struueremque*

suis altaria donis. Festus auctor est, antiquos dixisse *struere* pro *augere.* Extructis videlicet ramorum acervis ara crescebat.

v. 445. Monstrum dicit ex intimo monte *ovans venire*, quod verbum de motu gravi ac terribili dicitur. Ita

— non Africus alto
Tantus ovat —

inquit Valerius Flaccus Argon. II., 506. Sed *ovans austris* scrupulum fecit Burmanno, quod *lenis auster* tantis motibus parum conveniret. At eodem fere modo austris miscetur imber apud Virgilium Aen. V., 696. *densis nigerrimus austris.*

v. 445. Umbratile est Gronovii inventum *lumine.* Pariter *fluere* verbum de igne invenies apud Valer. Flacc. IV., 660.

v. 446. Oppositionem efficere *ipse* pronomen Burmannus ratus, quod hac re conturbaretur sententiarum ordo, ita scripsit: *Emicat inde. Manu* etc., nostris auribus adversantibus hexametrorum compositioni sat assuetis. Omnino gravitatis caussa adiectum sentimus *ipse* vocabulum, quo vis aliqua ingens ac divina declararetur. Numinis adventum *oris pallore* sacerdos indicat. Confer Statium Achill. I., 515. aliosque, quos annotavit Burmannus ad Val. Flacc. I. v. 229. Namque sensus animique adventu deorum percellebantur vatibus idque vultu gestibusque significabant. Lege Virgilium Aen. VI. v. 45. sqq.

v. 447. Loquitur sacerdos. *Edico extorribus ire.* Exempla huius locutionis collecta habes a Vossio de Constr. Cap. XX.

v. 449. Queis scelus aut opere paratum, aut saltem cogitatum est.] W e r n s d. Displicebat Heinsio *sumptum*,

quod tamen est sanissimum, ne dicam elegans. manus enim instrumenta sunt, quibus omnia propemodum perficimus. Sumitur itaque manibus, quicquid ministerio manuum agitur.] Iohns. Vult igitur poeta, ut pura mente et puris manibus quaerentes auxilium adessent sacris.] Burm.

v. 450. Ulitius reponendum putabat *animis*, i. e. una cum animis. Non repugnat latinorum sermo. *Animove succumbant* Cic. Tusc. II., 23. extr. *cecidere minis* suspicatus est Iohnsonus, quod in marginem ascripsit Heinsius. Verum non est mutanda vulgata. Comparatur a Burmanno Ovid. Met. VII., 347.: *cecidere animique manusque.*

v. 451. Erat inter veteres Graecos Romanosque sanctissima ac profunda relligio, qua iura consanguinitatis violare nefas putabatur esse. Cuius quidem commemoratione sententiae vix poterat venustius quicquam eloqui. Praeter parentum autem fratrum etiam natu maiorum capita venerari sanctissime veteres consueverunt. Quod sat relligiose expressit Homerus Iliad. XV., 204., qui Iridem deam Neptunum faciat hortantem, ne obsequium violet erga Iovem fratrem maiorem. Vossium lege ad Virgil. Georg. III. p. 672.

v. 452. Melioris amici, boni et fidi, ut *senior* pro *sene*, et v. 436. *graviore malo.]* Wernsd. Prorsus abs re est, quem excitavit, v. 436., ubi pondera, quaeso, quae annotavimus. Quid multa? Amicitiae vincula plus valent ipsa consanguinitate; itaque *meliorem* vocat amicum. Nec minus alienus est Nemesian. Cyn. v. 140. a Burmanno laudatus.

v. 453. *lacessere Divos.* Laedebantur Dii aut rerum sacrarum oblivione aut flagitiis perpetrandis.

v. 454. *hinc* male est pariter atque *huic* ab Titio Heinsioque excogitatum. Conglutinandae in hunc modum

sententiae: *si huc actus fuerit — discet* etc. Sic enim habeto: *Quem si audacia, vicina plerumque sceleri, impulerit, ut huc veniat, discet* etc.

v. 455. Discet ille, quantum poena possit divina, flagitiorum ultrix. Vere interpretatur Wernsd. *iram commissam*, „quae commissis sceleribus provocata et promerita est". Loquutionis genus explanatum est ad vers. 237. Itaque diverse explicavimus *iram Furiis commissam* supra versu 374. Haud semel observare licet apud Gratium eorundem verborum structuram similem, sed diversam significationem. Cfr. vv. 372. et 414. *Deum pone sequentem* non alium habeto, quam poenam pedisequam.

v. 456.—458. Probis contra molliter accenditur sacrificium, quod signum favoris divini est. Itaque lene sacrificii fit incendium, rursumque sponte sua in antrum flamma recedit. Tironum in gratiam monemus de liberiore verborum structura: *cui bona mens est*, — *illam aram lambit*, effecta per anacoluthiam quandam. Planius dixisset enim: *cui bona mens est*, — *eius aram lambit*. Quod genus loquendi, ad Graecos enim licebit reverti, sequitur Thucydides VI., 6.: οὐκ ἄχρηστος ἥδε ἡ ἄνοια — ὅς —. Aiunt enim grammatici, prius relativum *qui* poni pro *si quis*, ut ὅς pro εἴ τις.

v. 458. Centies dicitur *honor*, quicquid imponitur aris. Virgil. Aen. III., 118. 547. Tibull. IV., 1., 192. IV., 6., 1. Propert. IV., 6., 5. Schmid. ad Hor. Epist. T. II. p. 19.

v. 459. Rariorem constructionem esse: *defugere ab sacris*, notavit Burmannus,

v. 460. *tangere dona*, oblatum a Vulcano remedium usurpare.] Wernsd.

v. 462. *His praesidiis*, hoc oleo vivo, e lacu v. 434. *Excuties*, profligabis, *morbum regnantem*, grassatum per to-

tum corpus. Virg. Georg. II., 306. de igne: *perque alta cacumina regnat.*] Wernsd. Praetulerim equidem *excuties* utpote fortius pro rei gravitate. *mulce* vid. ad v. 362.

v. 464. 465. Quanta sit fides habenda istis remediis, significat. Non ab humana arte quicquam profectum, sed divinitus missa atque ab ipsa natura comparata omnia. *Natura aluit artem suam*, i. e. igne illo et sulphure ac bitumine. Itaque, quo morbo nullus fuit acrior aut morti propior, is tamen superatur isto auxilio.

v. 467. Ex hoc versu apparet, non totum fuisse poetam superstitioni addictum. Etsi enim versu 466. ab deo venire auxilium declaraverat, tamen humanae arti aliquid tribuit. En, relligionem cum ratione agendi consociatam. Deinceps igitur exponit, quid, si prima medendi opportunitas fuerit neglecta, sit faciendum. Est autem *dimissa* facultas nihil aliud, nisi vis medicinae per negligentiam abiecta ac debilitata, quae *fallit opem* vel irritam reddit. Viden igitur, plane sententiae repugnare quod est v. 467. *divina* ab Burmanno coniectura inductum? Namque divina facultas neminem fallit, sed hominum error perniciosus.

v. 468. Proinde in ipsa mali vehementia proximum quodque tenta auxilium. Scilicet subito malo subita occurritur medela. *Tumultus* est enim, quicquid praecipiti festinatione praeter exspectationem fit. *Subita est medicina* praecipiendi est modus, quasi dixisset: *medicina esto subita.*

v. 470. *Stringendae*, leviter vulnerandae, ut v. 364. *ligamina* musculos armorum dicit, quibus, velut ligaturis, membra connectuntur.] Barth. et Wernsd.

v. 474. *Fraces* sunt carnes residuae olearum et faeces ex iis expressae, ut exponit Gell. XI., 7. *subsiduae*,

quae subsidunt, et ad imum feruntur. Has vino admiscere iubet noster, ut Columella lib. IV. c. 13.] Wernsd. Displicet abiicere antiquorum exemplarium scripturam *diffusa* a Iohnsono Burmannoque correctam. *Diffunditur* vinum, quum pressum ex lacubus in cados et amphoras funditur; *defunditur*, quum promitur e vasis ad usum. Itaque Iohnsoni error natus ex eo est, quod verba *prisco cado* pro ablativo accepit. Nos contra dativum inesse censemus. Cfr. Virgil. Cop. v. 11., ubi pro *diffusa* in membrana invenerat Scaliger: *defusa*, et sic etiam cod. Petav. et Voss. Ibi *defusa* verum est. Vide Horat. Epist. I., 5., 4. Ovid. Fast. V., 511. Turneb. Adv. I., 1. Oudendorp. ad Lucan. IV., 82. Ilgen. ad Virg. Cop. p. 34. Ceterum *vina prisco cado diffusa* non sunt: *Wein auf ein altes Faſs gezapft*, sed: *Wein vor Alters auf das Faſs gezapft*. Itaque *vetustam vini amphoram* similiaque comparato. Sanguis nimis violenter profluens ut sistatur vino, Columella praecipit VI., 30., laudatus a Vossio ad Georg. III. p. 659.

v. 475. Malim *exigit:* ut Liber curas e pectore exigit, ita et morbo medicinam affert.] Wernsd. Sententiam vere exposuit, sed ne muta vulgatam. Porro *tenues curas* eas putat esse Iohns., quae facile se insinuant. Aliena omnia congessit Burmannus, ut Ovid. Ep. ex Pont. IV. 6., 87. Subtilius explicat Wernsdorfius: quae tenuiter mordent, vel quae corpus attenuant. Ego vero multo simplicius *tenues* curas, *vanas* intelligo esse, quales putat esse, qui dulci est mero sopitus. Itaque, quod *tristes* correxit Burmannus, lubens praetermitto.

v. 477. *Tussis* proprie *κυνάγχη*, vel angina, canibus suibusque familiaris. Virg. G. III., 496. *Veternus* perpetua somnolentia ignavos et moestos reddens. *Incurvata podagra*, quod curvos reddit.] Wernsd. Vid. Columell. VII., 5. Ita *inclinata senectus* apud Calpurn. Ecl. V., 13.

v. 479. Virgil. Georg. III., 470.: *Non tam creber — — Quam multae pecudum pestes.]* Wernsd.

v. 480.—496. Praeclarum profecto relligiosi animi pietatisque in poeta exemplum. Qui posteaquam sat abunde de morborum generibus medelisque exposuit, ne putide atque moleste extraheret materiam suam, ad deorum tutelam Dianaeque patrocinium revocat animum. In qua re, ut suum cuique detur, primum est Casp. Barthius omnibus coronis ornandus, qui versu 481. vetustam librorum scripturam:

Mitte animae, ex alto ducendum numen Olympo,

quam scite mutarit ita: *Mitte anime* i. e. *Lafs sie (die Sorgen), o Herz,* sensu percipitur meo quidem, nec melius, hercle, Pindari illud *φίλον ἦτορ* poterat assequi *). Sed iam ad Diania sacra illa est veniendum, quorum ut ordine quodam ratio describatur, quoniam magna eisdem est cum sacris ambarvalibus similitudo, ab his ordiundum est. Ac primum quidem satis constat, ambarvalium sacrorum genus duplex apud Romanos fuisse, quorum unum dici solitum est *ambarvale publicum*, alterum *rustica* sollemnitate fiebat a priore diversum. Prius autem celebratum est ab XII sacerdotibus arvalibus, quorum originem ducit ab Romulo Gellius VI. c. 7. extr. Qui quidem sacerdotes corona spicea albisque vittis ornati agrum Romanum inter quintum et sextum lapidem festa circuitione solebant lustrare, unde sunt *οἱ περὶ ὅρων δικασταί* appellati. Similiter Plinius refert N. H. XVIII., 2. *sacra terminalia* veteribus ab Romanis VII. Kal. Mart. (23. Febr.) celebrata auctoribus praeterea Ovidio Fast. II. v. 639.—684. Dionysio Hal. II. c. 74. Alterum genus ambarvalium, quod

*) Repeto, quae programmate Heiligenstadiensi a. 1831. p. 32. disputavi.

rusticum nominavimus, mense Aprili exeunte anni frugiferi caussa est celebratum, cuius quae ratio fuerit, satis ex Tibullo patet El. II., 1. Haec sacra Cereri et Baccho una cum Laribus fiebant (Tibull. I., 10., 15. sq. Voss. ad Virg. Ecl. I., 7.). Sed rem quid describo post Vossium ad Virg. Georg. I., 338. Vicina sunt autem, quae verbo licebit attingere, *Compitalia sacra*, quae, Laribus tutelaribus acta, partim *urbana* fuerunt, partim *rustica*. Atque de urbanis compitalibus nihil nunc quidem ambigitur; quibus celebratos constat *Lares publicos*, i. e. Larae ac Mercurii filios, *compitales* seu *viales* cognominatos. Sed urbana compitalia, quae ἐν τοῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ numerat Dionysius, primum a Servio Tullio instituta (Plinio auctore XXXVI., 27.) restaurataque a Tarquinio Superbo, ut annotavit e Macrobio Sat. I., 7. Gierigius ad Ovid. Fast. II., 611.; illa igitur quoties acta fuerint anno, addubitari potest. Quae ab initio semel quotannis celebrata fuisse, luculenter demonstrat Dionysius his verbis: καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν, atque pariter Varronis aetate *quotannis cum diem* conceptum, ipse testatur libro V. Sed videtur ista sollemnitas sensim obsolesse, ita ut redintegraverit eam L. Piso, quod Asconius retulit ad Cic. Orat. in Pis. A quo tempore discrepantiam aliquam observamus temporis. Nam *veteri calendario semel notata sunt sexto Non. Maii* inquit Casaubonus ad Suet. Aug. c. 31., dein vero M. Tullii Ciceronis aetate mense Decembri sive III. Kal. Ian. Compitaliorum dies incidit, ipso auctore in Pison. 4. §. 8.; pariterque IV. Non. Ian., ut idem refert ad Atticum VII., 7. Sed ea res cuicuimodi est, facta fuisse sacra in *compitis*, ipsum nomen significat, agebanturque imprimis Laribus Ovidio testante Fast. II., 615. Alterum autem videtur compitalium genus fuisse *ruricolarum proprium*; quod significat Cato cap. 5. his verbis: *rem divinam* (villicus), *nisi compitalibus*, *in compito aut in foco ne faciat*, quodque Calpurnium Ecl. IV., 126. significasse vere Werns-

dorfius intellexit Exc. II. (poet. lat. min. T. II. p. 339.) In compitis eiusmodi sacra celebrari consuesse, doceris Virgilio Georg. II., 382. Sed haec de compitalibus obiter. Illa vero de ambarvalium ritu praemittere ideo placuit, etsi sat abunde doctis sunt ab hominibus cognita, ut quam similis fuerit ambarvalium sollemnitas Dianae sacris venatoriis, intelligeretur. Quae quidem Diania sacra qua ratione fuerint acta, auctorem habeto Wernsdorf. Excurs. ad Grat. VII., cuius ipsa verba sequuntur: „Venatores ista sacra instituerunt Dianae in lucis, ubi feriatos dies a venatione agebant, sacrificiis lustrabant omne instrumentum venatorium, coronabant canes, et pro annuo venationis proventu reddebant honores. Haec sacra Dianae describit hoc loco Gratius ad versum usque 492. Neque enim decebat rei venaticae scriptorem hoc peculiare venatorum sacrum relinquere indictum. Praeter hunc mentionem eius fecit Statius Silv. III., 1., 55. seq. et conf. Turneb. Advers. VII, 26. Fiebant autem vel incipiebant haec sacra Idibus Augusti, quas propterea Statius l. c. *Hecateias Idus* vocat. Locus sacrorum erant compita in lucis, praecipue in nemore Aricino Dianae sacro. Ergo *compita*, ait Gratius, *molimur in lucis aeriis* vel altis, h. e. excisis arboribus diversa interstitia et vias, ad unum locum, quo compitum sit, coeuntes efficimus. Hoc deinde vocat *medii discrimen luci* v. 486.“ Prope Ariciam locus erat sacer, ubi Numam regem cum Egeria nympha rem olim habuisse fabulatur Livius. I. c. 21. Quem locum etiam *speculum Dianae* esse vocatum, Servius refert ad Virg. Aen. VII., 516. Suetonium ille secutus Caes. c. 45. Templum autem deae ibidem extructum *nemus* appellat Ovid. Fast. III., 261. et Strabo lib. V.: *τὸ δ'Ἀρτεμίσιον*, inquit, *ὃ καλοῦσι νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαινούσης*: *in nemore Dianae posuit* est apud Plin. H. N. XXXV. c. 7. et: *quique immite nemus Triviae* Silius It. VIII., 364. Adde Vitruvium IV. c. 7. excitatum ab Salmasio

masio ad Solin. p. 48. Celebrata sunt igitur sacra sub Albano monte (unde *Albanum lacum* vocat Propertius III., 22., 25.) ritu quidem Scythico, nam: *λέγουσι δ' εἶναι ἀφιδρύματα τῆς Ταυροπόλου*, inquit Strabo l. c., et *fuit ibi simulacrum Scythicae Dianae*, Solinus polyhist. c. 2., simulque Virbius, heros quidam indigena, cui posthac Hippolyti fuit nomen, colebatur. Gierig. ad Ovid. Fast. III., 263. Inde ergo Diana vocata est *Nemorensis* Inscriptt. apud Gruter. p. 41. N. 7. 8. Sacerdos autem *rex Nemorensis* dictus Suet. Calig. c. 35.

v. 483. *molimur compita.* quoniam magni erat laboris, exscindere silvam. Cfr. Virg. Aen. VII., 290. I., 428. *aëriis.* Ita Virg. Aen. III., 680.

v. 484. Ad ritus eius sacri praecipuos h. l. memoratos pertinent *faces* in lucum Dianae delatae. *Spicatae sunt incisae* ad spicae formam, ut explicat Servius ad Georg. I., 292.: *ferroque faces inspicat acuto.]* Wernsd. Omnino ad sacrorum ornamenta pertinuerunt faces. Cfr. Meursium Graec. fer. V. s. v. *λαμπάς* apud Dorvillium Miscell. Observv. Vol. V. Tom. 3. p. 18. interpretesque Propertii II., 32., 10. et Ovid. Fast. III., 270. Adde Statium Silv. I. I. v. 56.

Eodem versu *faces* dicuntur *sacrum D.*, sed appositum *sacrum* ad *spicatas* et totam orationem tortuosam et nimis cumulatam reddit. Itaque valde laudandi sunt Turnebus Adv. VII., 26. pariter ac Wernsdorfius, scribentes illi: *Sacrum ad nemorale.* Videtur hanc scripturam antiquo in codice reperisse Turnebus. Dicuntur autem *nemorensia* vel *nemoralia*, quaecunque ad festum Dianae istum pertinent. *Templum nemorale Dianae* ex Ovidio Art. am. lib. I., 259. laudat Wernsd.

v. 485. Coronati canes. Similiter tauros feriarum tempore rusticarum habes coronatos apud Tibull. El. II.,

1., 8. Plutarch. Quaest. Rom. p. 117. ed. Reisk. ap. Gierig. ad Ovid. Fast. I., 663. Quid quod asinos isto honore insignes facit Propert. IV., 1., 21. Ceterum cfr. Statium l. l.: *Ipsa coronat Emeritos Diana canes* etc.

v. 486. *medio in discr. l.* in illis compitis, quae moliti sunt in luco, *per* vel inter *flores*, quibus humum sparserunt, *stravere arma*, omne instrumentum venatorium ante Deam collocant, *sacris et pace vac. festa* i. e. non iam adhibentur. *Pax* pro feriatione. Stat. Silv. IV., 4., 40.: *et pacem piger annus habet.*] Wernsd.

v. 488. *Viridi fer.* ferculo ex viridi fronde fabricato, ut corbe, fiscella, *fumantia* tosta vel cocta. *Praeveniunt*, praeferuntur, praeeunt. Igitur pompam ducere et circumire solebant, ut in lustratione agrorum.] Wernsd. De *libis (φϑοῖς)* cfr. Caton. Agr. 75. Ovid. Fast. III., 733. ibique interprr.

v. 489. *Extrudens cornua*, ut Horat. Carm. III., 13. *cui frons turgida cornibus. Tota iuventus*, venatores aeque ac canes, ut versu 330. *Pro anno*, h. pro felici huius anni opera et praeda e venatu.] Wernsd. Ita quidem omnis ista sententia nimium quantum redundat. Praeterea verba: *lustr. d. m. sacri* per se ac propter se ad Diania sacra referri nequeunt. Quamobrem hunc et sequentem versum ad ambarvalia equidem arbitror spectare. *Vota* cur pro *tota* dederit Dan. Heinsius, non perspicitur.

v. 493.—496. Itaque, quaecunque in hac parte de canibus exposuerat, relligionis nunc imagine iterum comprehenduntur et quasi terminantur. Virginis, inquit, Dianae sub auspiciis labor omnis venatorius Tuus floret. Ordinem verborum paullo intricatiorem habeto huncce: *Multa respondet ad partes, q. p. o. seu — — prior, Virgo, tua (i. e. venatoris) fides tutelaque. — Respondet ad partes* etc. est: eis partibus, qua poscis opem, felicem successum

praebet. *Respondere* de vitibus habet Columella III., 2., 11. Itaque *multa* aut cum Iohnsono feminino genere dictum puta pro *benigna*, vel neutro pluralis, tamquam scripsisset *multis in rebus.* Praeplacet posterius. Alienus est certe Valer. Flacc. Argon. VI., 223.: *plurima silvis pervigilat*, non minus quam Ennius apud Cicer. Divin. I., 20.: *multa manus ad coeli caerula templa tendebam*, Horatiusque Carm. I., 7. v. 8. Heinsius malebat: *culta.*

v. 497.—540. De equorum in venatione usu exponitur. Eam partem carminis non perfectam patet et elaboratam, sed inchoatam ac primis quasi lineamentis adumbratam esse. Itaque, etsi nec sententiarum venustate pars ista nec numerorum pondere et gravitate caret, tamen dicendi genus ubivis pressum nimis et coactum. De eadem re Olympius agit Nemesianus inde a versu 240., sed multo plenius atque facilius.

v. 497.—500. Restat, ut equorum notas definiamus venationi aptorum. Namque non omne genus equorum his artibus convenit. Vitiosa indoles, corporis infirmitas visque intemperata damnum afferunt. En, res omnes ad naturam humanam compositae. v. 497. *equos finire notis* versu 289. dixerat: *percensere notis. Finire* pro *definire* dici, exemplis demonstrat Burmannus ad Quintilian. Instit. lib. II. c. 1.

v. 498. *audet in artes.* Ita: *audere in proelia* Virg. Aen. II., 347. Ovid. Fast. V., 175. *audet in apros.* Cfr. Grat. v. 73. Barth. ad Claudian. bell. Gild. v. 299. Tacitum Hist. II., 71.: *adversus Neronem ausus* affert Burm.

v. 499. *Ex animo* sc. imbelli vel fallente. Ita vere Iohns. Obscure Heinsius: *est vitium, est animo. Sunt, quos imbellia fallant corp.*, propter infirmitatem vel exiguitatem corporis parum respondent. Cfr. *frustrata* v. 320.

v. 500. De *quondam* vid. v. 126. 194.

v. 500. — 506. *Consule* est cogita, vide, tecum perpende. Vide sis equum Thessalicum aut Argivum, quam fortis et acer est! et tamen minus aptus venationi.] Wernsd. *consule*, ut vocem suspectam Burmannus notavit. *Peneo* praeter necessitatem malebat Heinsius. De equo Thessalo cfr. ad v. 228. — *perfunditur* i. e. lavatur vel *bibit amnem*, ut Virg. Georg. III. v. 445. cfr. ibid. v. 77.

v. 502. *Conspersere* Heïnsii coniecturam prorsus improbamus. Audiendus Wernsdorfius: „*conspexere*, prae ceteris spectabilem et admirandum videre. Monstravit huius usum verbi Gronov. ad Liv. IV., 13., 3. *Glauci* maxime probantur. Virg. G. III., 81."

v. 503. *Nempe* perinde ac *scilicet* intendit sermonem ad gravitatem aliquam. Vid. Voss. ad Virg. Georg. III. v. 259. Burm. ad Val. Flacc. VI., 282. — *ardua fundet in auras*. Inter incedendum crura attollet et explicabit. Virg. Georg. III., 75.] Titius. — *ingens* vid. v. 68.

v. 504. Quis magis in curriculo Olympico laudatus est?] Wernsd.

v. 506. Infinitivus Graecorum more; quasi esset dictum: *quam quae lacessere possit.* Similiter ὡς vel ὥςτε ante infinitivum omittunt Graeci.

v. 507. *Miratur.* Lusus erat calami, quod *submittat* Heinsius coniiciebat. Potius videbatur Burmanno et Wernsdorfio *miretur.* Neuter sententiam assequitur planissimam. *saevi* sunt enim Marti assuefacti. Itaque sic habeto: *nec Syene habet equos ad venationem utiles. miratur* ut v. 502.: *conspexere.* Quid igitur *Syene?* Nempe quod *terrena* est i. e. *campestris* cursuique venatico alioqui non incommoda. *Extrema* legit Ulitius in Addit., quod placuit Bocharto de Animal. lib. II. c. 9. Sed *terrena* quid valeat, cum sententiarum cohaerentia docet, tum Livius XXXIII., 17. de Leucadia: *et campus terrenus omnis*

operique facilis. Iam, quoniam nulla uspiam est Syenensium equorum nobilitas, *Sidene* scribere mavult Burmannus, quae proxima urbs est Thesmiscyrae in campis Amazonum (Strabo XII. p. 547.), quarum sunt equi celeberrimi. Similem corruptelam affert ex Val. Flacco VI., 74.

v. 508.—512. Parthis, fateor, suus constitit honor inter sua mollia rura, verum age, veniant ad loca saxosa, confragosa, nimirum deficient protinus.] Iohns. Confert Iohnsonus Vegetium lib. I. c. 56.: *Parthis consuetudo est, equorum gressus ad delicias dominorum hac arte mollire.*

v. 509. *veniat.* Numeri mutatio. Vid. ad Ovid. Met. VII., 655. Gronov. ad Liv. XXXVIII., 29. Nemes. v. 1. Grat. v. 122. 378.] Burm. *Taburnus* Campaniae mons, nunc *Taburo* in *terra di Lavoro.* Eius asperitatem commemorat Servius ad Virg. G. II., 38. Aen. XII., 718. Cluver. Ital. Ant. lib. III. c. 7. Ibidem Caudium ac Caudinae furculae.

v. 510. *Garganus*, *τὸ Γάργανον ἀκρωτήριον* apud Strab., Apuliae mons asper et horridus. Horat. Epist. II., 1., 202. Hodiernis est Italis: *Monte di S. Angelo.*

v. 511. *Ante opus*, antequam finem attingat venationis, *excussis*, extritis, vel elisis inter silices ungulis cadet.] Wernsd.

v. 513. *Deus*, natura. Horat. Carm. I., 18., 3.] Wernsd.

v. 513.—516. *At contra* aio *tibi*, montes Pyrenaeos equo Hispano sine offensa percurri.] Wernsd. De Callaicis equis, genere laudatissimo, ludis etiam Circensibus nobilitatis loquitur Drakenb. ad Silium XVI. v. 330. *Tibi* redundat in comi et familiari alloquio, quasi alter nesciat, quod sumus dicturi. Terent. Eun. IV., 7., 30. et alibi.

v. 516. *Murcibii*, nomen prorsus incognitum. Derivat Titius a *Murcia*, Hispaniae regione. *Murcinii* a *Μούρκινος* vel *Myrcinii* a *Μύρκιννος*, quae Stephano est *πόλις κτισθεῖσα παρὰ τῷ Στρύμονι ποταμῷ*, Ulitius fecit. *Marrubii* coniecit Burm. *tenacia*, h. e. pertinacia et reluctantia ex Ovidio Am. III., 4., 13. explicat Wernsd. Illic est: *equum contra sua vincla tenacem.*

v. 517. Lacunam codicis Longobardici supplevit Ulitius, Lucanum secutus IV., 682.:

— nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frenorum nescia virga.

Heinsius legere maluit:

— at tota levi Nasamones habenae,

ut e prioribus repetatur: *concedant ora.* At ita sequentia verba: *fingit equos* interpretatione carent. Afrorum equi ignari fuerunt habenae. Virgil. Aen. IV., 41. Ulit. ad Nemes. Cyn. v. 264., quem totum confer. Mavult tamen Burmannus:

— at tota levi Nasamones habenae
Fingit equos Pisae Numidae sollertia nudos.

Quod enim in libris vulgo est: *solvere iugales*, nihili faciendum. Ceterum Lucanum affert Burmannus IV., 682. ut monstraret, nudo, non instrato dorso insedisse Numidas. Coniecturam proferre certam quis audeat?

v. 518. *centum spatiis*, *ὑπερβολικῶς*, ut Virg. G. III., 18. *eluctabitur iram*, h. ardorem atque incitationem, quamvis magnam, perferet et superabit.] Wernsd. Cfr. v. 17. Affert Burmannus Statium Achill. v. 524.:

tandem fessa tremens longis mugitibus ora
Solvit et oppositum vox eluctata furorem.

v. 521. *Nec magni cultus.* Parvo nutriuntur, vel non indigent multo studio et cura.] Titius. Forte ita

construendum: *nec cultus magni est.* In Ald. ante *nec* erat asteriscus.] Burm. Titius omnino vere interpretatur.

In sequentibus fidei desperatae sunt verba videnturque vel mutila vel ab ipso poeta nondum perfecta esse. Pro *fuit*, quod Ulitii est, *satis* coniecit Barth. vel: *Terra, cibus: tenuesque sitim pote ducere rivi.* Iohnsonus olim dederat:

nec magni cultus: sterilis quodcunque remisit
Terra famem, tenuesque sitim produxere rivi.

Quamquam est inusitatum *produxere*, penultima syllaba correpta. Nos, ut aliquid fecisse videamur, retinere in altero hemistichio maluimus vulgatam:

— sterilis quodcunque remisit
Terra sui. tenuesque sitim producere rivi,

quam praebent A. Gr. P. B. Hoc est enim: *parvi sunt cultus.* *Quodcunque terra de se sponte sua edidit, et rivi, qui sunt tenues sitim producere* (supple: *cultum efficiunt).* *Tenues rivi* sunt paucae et exiguae aquae. *Remittere* sic Ovid. Met. I., 604. *Producere sitim* non exstinguere, sed differre, quia sunt tenues. Aptus igitur infinitivus ex *tenues* adiectivo. Vid. Anonymi exempla ab Heusingero collata ad Vechn. Hell. lib. I. part. II. c. 21. Ceterum cfr. Virg. Ecl. V., 47.:

quale —
— sitim restinguere rivo.

v. 523.—525. Non maiore cura indigent Thracii, qui utinam tam facile montes superare possint, quam Siculi. Versum 524. citat Cluver. Sicil. II. c. 11. Ergo Thraciis opponuntur Siculi, quibus, ut inquit Iohnsonus, quantumvis alias specie deformi, ludus erat Nebrodes superare montes et damas hinnulosque inde pellere. Ὠκυτάτους Σικελούς appellat Oppian. Cyn. I., 272. *Aetneae arces* pro Siculis dicuntur montibus.

v. 526. *Tenuis dorso spina* in vitio habetur. nam alias, ut a Virg. G. III., 87., *duplex per lumbos spina* laudatur in equis, Xenophonti et Polluci ὀσφὺς διπλῆ. *Per illos*, vel propter eius generis equos celebratus admodum Graiis est *Agragas*, mons et urbs Siciliae, qui Maroni Aen. III., 704. *magnanimum generator equorum* dicitur. In *Graiis* respicit maxime Pindarum.] Wernsd. Pind. Olymp. III. v. 2. κλεινὰν Ἀκράγαντα.

v. 528. *Nebrodes*, mons Siciliae, a damarum copia vocatus, de quo Strabo lib. VI.] Wernsd. Priore versu: *actaeque ferae* scripsit Heinsius ad Sil. Ital. XIV., 236. nulla necessitate coactus. Liquere enim Nebrodem sive pulsae sive occisae. Utrumque *victae* verbum significat.

v. 528. *O quantus*, quam exercitatus et celebris est *ille* Agragas vel Nebrodes *in armis meis*, h. venatu, ubi eximia sunt *pecuaria*, quae *dociles* ad venatum *foetus*, pullos, *sufficient*, praebebunt. V. Virgil. G. III., 66. *Quis ausit*, vel audeat *contendere contra*, conferre cum eis equos *Chaonias* vel Epiroticas, quibus Achaia in ludis suis palmas et victorias tribuit, quas vix meruerunt. His verbis poeta videtur Siculis equis principatum in venando deferre.] Wernsd.

v. 532. *Spadices*, equi phoenicei coloris (de quo Gell. II., 26.), *Pellaei Cerauni*, qui de Cerauno monte Macedonico, vel ex ipsa Macedonia sunt, et *pecuaria*, quae *magnum decus Cyrrhae tibi*, *Phoebe*, *devotae* sunt. h. e. equi Phocenses, *vix valuere nostras tensas ag. in sacr.* vix idonei sunt exercendae venationi. *Tensae* sunt sacra vehicula. Ut *sacra* et *mysteria* saepe pro arcanis interioribus artium ponuntur, ita et *sacraria* possunt quemadmodum et *adyta*. Proprie Virg. G. III., 533. dixit: *ductos alta ad donaria currus.*] Wernsd.

v. 535.—540. *Venanti melius pugnat color. Niveus p. c.* malebat Ulitius. Quid sit *pugnat color*, omnino

obscurum. Fortassis delitescit eiusmodi sententia: *melius venanti convenit coloris discrepantia quaedam.* Namque obscurum quoque Wernsdorfii illud: „ab equi virtute venandi plerumque dissidet eius color.“ Interpretatur autem sic: „Qui *melius venatur* equus, huic plerumque deterior est *color*, qui quasi *pugnare* et contradicere eius virtuti videtur. Hinc nigros optimos declarat, sicut Virgilius G. III., 82. damnat albos. *badii* dicuntur fusci vel spadices. *fessae favillae* sunt collapsae et resolutae in cineres; igitur cinereum colorem describit.“ Haec autem et sequentia, litterarum formis distincta, supplevit Ulitius.

v. 538. *Italiae parentes*, Italicae matres. equas videtur intelligere. quippe eodem encomio Italiam Maro ornat G. II., 145. *Terras omni usu praecepimus* videtur esse praevertimus, superavimus: quicquid aliarum terrarum proprium est, id commercio, sollertia, experientia, usu fecimus nostrum, atque iis praeripuimus. Videtur hoc voluisse significare, importatis aliarum terrarum equis et equabus Italiae submissis nobilissima Italiae pecuaria facta esse, atque inde occasione ab hoc genere sumta tales Italiae laudes adiunxisse, quales fere Plin. lib. III. c. 5. §. 6. exponit His ipsis laudibus finiisse poeta Cynegeticon, ut Plinius opus suum, videtur, et pauci adeo periisse versus.] Wernsd.

COMMENTATIONES
DE
OLYMPII NEMESIANI
CARMINE VENATICO.

v. 1.—102. Duae omnino res sunt, quae vitio dantur Olympio in exordii compositione: ambitus prooemii in nimiam longitudinem extensus, et affectatae doctrinae intempestiva ostentatio. Alterum crimen elevabitur *eo, quod* sibi amplius opus videtur proposuisse, quam quod ad nos pervenit. Fabularum autem effusam copiam ferant necesse est seriorum poetarum loquacitati assueti. Atque carmen instituisse poetam multo maius et amplius ab omnibus, qui vel leviter poetam tetigerunt, est iudicatum. Versibus enim 237. 238. se tantum de apparatu venatico loqui profitetur; ipsam rationem venandi non exposuit, sed mox se relaturum promittit. Quam quidem carminis partem a versu 320. capere initium, equidem persuasum habeo. Bipartitum est autem exordium carminis. In prima parte Virgilium videtur sequi versaturque in eorum enumeratione omnium, quae cantaturus non sit. En, fabularum recensionem, quas veteres poetae tractaverint, in quas tamen tam fuse excurrit, ut vix modum teneat. [Wernsd. Argum. p. 88]. Altera prooemii pars in laude versatur Caesarum, filiorum Cari imperatoris, in qua tum sententiarum tum verborum elegantiam gravitatemque prae ceteris est admirari.

v. 1. Vetus erat opinio Scaligeri, vitiosam esse numerorum diversitatem in verbis *cano* et *pandimus;* quae quidem opinio Caspari Barthi mentem adeo praeoccupatam obtusamque tenuit, ut vetustam corruptelam libri sui *pandimur*, id est *aperimur Deo intranti*, revocandam esse omni sacramento contenderet. Nemo ita unquam dixerit *pandimur.* Numeri variationem exemplis confirmavit Burmannus, Cort. ad Cic. Fam. V., 14. Ovid. Fast. IV., 863. Propert. I., 7., 5. Statius epist. ante Silv. III.: *quia sequi non poteramus — sic prosecutus sum. Cane*, quod Gronov. coniecit, putidissimum, neque enim canibus tota efficitur venatio. *Hilarosque* vult Heinsius non aliam ob caussam, nisi quoniam Prudentio Hamart. 374. *hilaram* dedit. Ceterum cfr. Grat. v. 1.

v. 2. *citos discursus.* vid. v. 49. — *securi proelia ruris.* Venusta antithesis, quia alioqui rus tumultu caret.

v. 3. Vitio damus poetae, qui in prooemio carminis didactici ad tam immoderatam sublimitatem assurrexerit, quae lyricis epicisque carminibus magis conveniat. *Oestrus*, quod insecti genus est proprie (οἶστρος), ut Virg. G. III. 146.—156., hic de furore poetico dictus. Sic Stat. Theb. I., 32. Iuvenal. lib. I., 4., 123.

v. 4. *Helicon* pro Musis. Stat. Theb. I., 3.: — *unde iubetis ire Deae?]* Wernd. *Ingentes.* Recte *ingentes* ut venatoribus mos: ita Maenalus *ingens* Ovid. Fast. V., 89.] Burm. Perperam intellexit verba. Tu sic accipe: *ingentem* h. e. late patentem, *materiam iubet tractare.* Cum viatore se comparat, ut verss. 6. 8.

v. 5. Probamus Meursii, Scriverii, Heinsii coniecturam *Castaliique*, nec putamus *Castalium* dici pro Apolline. *Castaliusque mihi nova pocula fontis alumni Ingerit* coniecit Burmannus, ut *fons alumnus* esset is, qui alit vates. Utcunque est, hoc dicit: novum mihi studium canendi suggerit.

v. 6. **Amplam canendi materiam praebet.**

v. 7. *Imponitque iugum.* Cogi et regi dicuntur a deo, quicunque ἐνθουσιάζουσι. Tamquam equum magister *premit* Phoebus Sibyllam Virgilio Aen. VI., 80. Corymbis vel hederis coronati ingrediebantur Bacchicis in pompis. Vid. Tibull. I., 7., 45. Ovid. Met. III., 644. Claud. Cons. Hon. 607. Propert. II., 23. Hinc ipsi poetae sequuntur deum cingentes viridi tempora pampino. Horat. Carm. III., 25. v. 20.

v. 8. Imitatur Lucretium I., 924.:

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo —

Virgilium Georg. III., 291.:

iuvat ire iugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo.

Itaque „in viam ingreditur, qua prior nemo incesserit." Quod enunciatum aut ab ignoratione aut dissimulatione profectum carminis Gratiani. Alioqui non ausus esset de se hoc affirmare.

v. 9. *Currum* tribuentes sibi poetae orationem poeticam et numerosam indicant. Hinc *Pierii currus* Claudiano Stil. I., 23., *quadrigae poeticae* Cicer. ad Quint. fr. II., 15.] Wernsd. Pindar. Isthm. II. v. 1. 2. *Οἱ μὲν πάλαι — φῶτες, οἱ χρυσαμπύκων ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον.* Ol. IX. v. 120. εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι πρόςφορος ἐν *Μοισᾶν δίφρῳ*, Pyth. X. v. 101. ἅρμα *Πιερίδων*. Ovid. Art. II., 426. I., 39. 264. Propert. III., 1., 11.] Burm.

v. 10. *Virides herbae* et *intactus muscus*, quae nullo sunt vestigio trita. Sic plane Propert. III., 3., 26.: *Qua nova muscoso semita facta solo.* Idem *intactam viam* dicit III., 1., 18.] Wernsd.

v. 12. Glossematis speciem praebet versus. Legebatur olim nullo sensu post v. 23. Reduxit eum Pithoeus in hunc locum, parum considerans ille, quantum ita repugnarent verba *tramite noto* prioribus *qua sola nunquam trita rotis*. Omisit *se* voculam Meursius, ut sententia esset: quamvis Musa aliam carminum viam vulgatam magis praebeat. At enim hoc factitium alienumque ab Nemesiano. Itaque, nisi glossema est, fortassis est legendum:

Et, quando cursus se ostendit tr. n.

Quamquam omisso versu validior efficitur et rotundior oratio.

v. 13. Auxilians Calliope fac, precor, insistere queam prato complacito, ut orbitam faciam ingrediendo primis sulcis lucentem.' *Facile est* Ulitius. *Facias* Scaliger. *quo luceat* mavult Ulit. Respexisse poetam Virgilium G. II. v. 211. putat Burm. *luceat* est: longe appareat, ut Grat. v. 87. Vid. Barth. ad Claudian. cons. Olybr. 101.

v. 15. Sequitur immodica et indigesta fabularum copia, ab aliis poetis decantata. De Niobe nota fabula ex Ovidio Met. VI., 148.

v. 16. *Ignem iug. let. s.* ignem fulminis, qui nuptias simul et necem Semelae conciliabat. V. Ovid. Met. III., 292. sq.] Wernsd.

v. 17. *pellicis astu. pellex* h. significat *quae pellexit.* Iuno enim induxit Semelem, orare Iovem, ut liceat sibi cum eo concumbere. aut acerbitatem Iunonis exosus poeta nomen *pellicis* Iunoni magis tribuendum censuit.] Iohns. Omnino verum posterius. Solent abuti *pellex* vocabulo scriptores, ut Papin. Stat. Theb. VII., 160. ipsam Iunonem sic vocat. Pari modo auctor carminis de laud. Hercul. v. 47. Iunonem Alcmenae *pellicem* appellat. cfr. Barth. ad Stat. l. l. Scilicet ob animum ita dicitur suspecti amoris invidia laborantem, qualis solet esse pellicibus.

Inficetum Burmanni illud: *de pellicis aestu* i. e. Semeles ardore. *Astu*, dolo, arte. Vid. Lucianum et Hygin. cap. 57.

v. 18. *Recreata cunab.* renovatam genituram Bacchi. Quippe *paterno insuitur femori, maternaque tempora complet* Ovid. Met. III. v. 312.] Wernsd. Apollod. III., 4. 3. et Lucian. Vetus exemplar praebet: *Maternis addere menses.* Imitatur Statium Theb. VII., 167.:

— cui tu dignatus limina vitae
Praereptumque uterum et maternos reddere menses.

Itaque restituit menses, quos rapuerat.

v. 21. Pentheus, Echionis atque Agaves filius, Thebanorum rex, Bacchica sacra conturbaturus a Bacchis laceratus. Rem narrat nuntius apud Eurip. Bacch. v. 1023.-1151. Appollod. III., 5., 2. Pausan. II., 2. Nonn. Dionys. I., 44.—46. Ovid. Met. III., 513. sqq.

v. 22. *Duxisse* maleb. Barth. Obvia haec commutatio. Vid. Broukh. ad Propert. I., 7., 1. II., 10., 12.] Burm. *Vincula Dirces.* Dirce, Lyci uxor, Thebanorum regis, ab Amphione et Zetho propter iniurias Antiopae illatas tauro alligata et interemta est. Hygin. fab. 7. 8. Propert. El. III., 15., 12. Apollod. III., 5., 5. Cfr. monumentum antiquissimum tauri Farnesii nomine vulgatum. Rem tractarunt tragicorum quidam, velut Euripides, cuius fabulae fragmenta collegit Musgravius, recensuit Valckenarius Diatr. c. 7. 8. Exstitit tragoedia eiusdem nominis Pacuvii, de qua v. Casaub. ad Persii Sat. I. v. 78.

v. 23. Oenomaus, Pisae rex, filiam habebat Hippodamiam, quam cum multi proci peterent uxorem, conditionem proposuit, ut, qui se cursu vinceret, uxorem duceret filiam, victus interficeretur. Hygin. fab. 84.] Barth. et Wernsd. Vid. Pindar. Ol. I. v. 112. sqq. Pausan. VI., 20. 21.

v. 24. Imperium cruentum, quo Danaus quinquaginta filiabus imperavit, sponsos suos prima nocte omnes necare. V. Ovid. Her. XIV. Apollod. lib. II. *Foedus*, concubitus. Ovid. Her. IV., 147.] Wernsd.

v. 26. *Biblidos*, Mileti filiae, quae propter sceleratum, quo in Caunum fratrem flagravit, amorem, ipsa se interfecit. Ovid. Met. IX., 453. sqq.

v. 26.—29. Nota fabula de incesta Myrrhae vel Smyrnae, quae vel Thiae et Arithyae, vel Cinyrae Cenchreidisque filia dicitur. Ea Veneris artificio exarsit nefando in patrem amore. Ille igitur aperto scelere insectatus est filiam, donec in Arabia mutata est in myrrham arborem. Ovid. Met. X., 465. Hygin. fab. 58. Antoninus Liberalis 33. — V. 27. Ulitius corr. *foedo* vel *scaevo*, ut Ovid. l. l. v. 319. At *saevum* rectissime dicitur crimen, quod *ipso odio maius* erat, ut ait Ovid. Met. X., 315. — V. 29. *animamque virentem*, nymphae virent et senescunt cum arboribus. Manilius V., 212. *sanguinem virentem* nemori et herbis tribuit.

v. 30. *Sibila Cadmi* in serpentem conversi. Ovid. Met. IV., 576.] Wernsd.

v. 31. *stellatumque oculis*. Cuius universum corpus oculis obsitum erat, ut coelum stellis.] Barth. Vid. Virgil. Aen. IV., 261.: *stellatus iaspide ensis*, Ovidium Met. I., 664.: *stellatus — Argus*, Statium Theb. VI., 227.: *inocciduis stellatum visibus* affert Wernsd.

v. 33. Tereus, rex Thraciae, postquam Philomelam, Procnes sororem, per vim stupravit, oblatumque ei Ityos filii caput inter epulas est, in upupam convertitur. Ovid. Met. VI., 671. Apollodor. III., 14., 8. Philomela in lusciniam, Procne in hirundinem mutatur, vel Procne in lusciniam, Philomela in hirundinem. Cfr. Meurs. de Regno Athen. II., 5. Heinsius mavult: *rudi se tollere T. pinna*.

Burmannus: *mirenturque, rudes sustollere T. p.* Sed nefas esse, Olympium ad prioris aevi elegantiam emendare, ipse annotavit Burmannus.

v. 35. *Ardua mundi*, coelum, *male tent.*, i. suo periculo conantem ascendere. Ardentem cum mundo Phaethonta Iupiter fulmine in Padum praecipitans extinxit: amissum Cygnus dolens in olorem, et Heliades, Phaethontis sorores, in arbores vertuntur, quae pro lacrimis electra stillant. Vid. Ovid. Met. II., 311. seq. Virg. A. X., 192., Cygnum ait *Canentem molli pluma duxisse senectam.*] Wernsd. *in funere* vel *funera* emendatum est ab Heinsio. Sed utroque casu dici *flere*, ostendit Burm. Ita quidem ablativus significat caussam, quemadmodum *pace advenio* est *pacis caussa*, apud Plaut. Prolog. Amphitr. v. 32. Id quod notamus iccirco, ne quis in huiusmodi exemplis praepositionem statim corrigendo inducat, quod falso olim factum est ab quibusdam in verbis: *vitiis repudiatum est* Cic. de legg. III., 7. §. 15.

v. 39. Tantalidarum et Pelopidarum genus casibus horrendis et sceleribus infamis. Eo pertinet Pelops, Tantali filius, a patre Diis appositus epulo, coena Thyestea, et propter eam sol aversus, stuprum Clytaemnestrae, caedes Agamemnonis et Aegisthi, et Orestis casus, et alia poetis tritissima.] Wernsd. Olim praebuerunt *prioris* omnes libri. Probabiliter *priores* reposuit Heinsius cum Burmanno, quod alioqui *dixere* praegressis parum conveniret. Itaque Burm. *generis* accepit pro: Tantalidarum vel Pelopidarum, ex quorum genere fuit Agamemnon et Menelaus, prior occisus ab Clytaemnestra.

v. 42. *Colchidos*, Medeae, munera venenis *sacris*, i. magico ritu confectis, imbuta Glaucae, Iasoni marito suo nubenti, missa, quibus acceptis ipsa et tota regia conflagravit. Narrat Hyg. fab. 25. et Apollod. I. p. 56.] Wernsd.

v. 44.

v. 44. *Crinem Nisi*, regis Megarae, fatalem abscidit Scylla filia, eoque patriam Minoi prodidit. Ovid. Met. VIII., 85. Apollod. III., 204. De poculis Circes, quibus homines mutavit in pecudes, res nota ex Homero.] Wernsd. *Crimen* vetusta lectio a Barthio commendata, sed aperte corrupta.

v. 45. Antigonam intelligit, sororem Polynicis, *nocturna busta furantem*, furtim noctu occisi fratris corpus sepelientem. *bustum* et de loco, ubi sepelitur, et de sepultura ipsa dicitur. *furari* interdum idem quod *celare*, *clam facere*. Sic *furatur praestigiator* i. e. oculos fallit spectantium apud Apulei. Flor. IV. p. 359. ed. Elmenh., quem afferunt vulgo lexicographi. Itaque intellige: furtim busta parantem. Simillimum est *κλέπτειν τι*, *furtim aliquid facere*; *εἰ δ' ὑποβαλλόμενοι κλέπτουσι μύθους* Aiace Sophoclea v. 189. Br. Paene eadem ratione obiectum permutatur Ovidio Fast. III. v. 22.:

et sua divina furta fefellit ope —

et Propert. El. IV., 5. v. 14.:

Et sua nocturno fallere terga lupo.

v. 46. *praecepit*, anticipavit. cfr. Grat. Cyn. v. 388.

v. 47. *Antiqui vulgata.* Virgil. G. III. v. 3.: *Cetera — omnia iam vulgata*, et Manil. Astron. III. v. 28.: *vulgatum est opus* comparat Burm. De *voce vulgata* citat Quinctil. Inst. VII., 3. — *antiquum seculum* interpretatur *fabulosum*.

v. 48.—62. *Nos potius venationis opere delectamur, istamque materiam carmine tractare placet.*

v. 48. *Vir. plagas*, prata viridantia. *scrutamur*, lustramus, pervagamur. Claud. Gild. v. 357: *iuga rimari canibus Getula.*] Wernsd.

v. 49. *citi discurrimus*. cfr. v. 2.

v. 50. *facili cane* i. docili, veloci, tractabili, ut apud Grat. v. 160. Cfr. infra v. 191.] Wernsd.

v. 53. *flumineas umbras*, fruticeta et silvas ad ripas fluminum. *Per opaca silentia Tybris* Grat. Cyn. v. 38.

v. 54. *Ichneumon*, qui mus Aegypti, l. Pharaonis, et forma ictidis esse dicitur, in densis arundinetis habitat, vel umbris flumineis, ad ripas Nili. has *placidas* vocat, propter Nili placide alluentis undas. De ichneumone plura habet Plin. VIII., 25. Aelian. de anim. VIII., 25. Oppian. Cyn. III., 407.] Wernsd.

v. 55. *felemque.* Heinsius malebat *melemque*, quam Grat. v. 402. *lucifugam* vocat. Sed intelligit felem silvestrem et feram.] Burm.

v. 56. Quid sibi vult illud *prae*, nescio. malo *perfigere.* difficulter enim, nec nisi graviter vulnerati pereunt.] Iohns. Amat etiam Burmannus obscuritatem; vult enim ita: „felis in trunco latentis caput, quod exstat, figere, ut mucro teli eo induatur; et telis praefigere et deinde circumferre quasi tropaeum: nam illa vis praepositionis *prae.*" Nihil verba significant, nisi hoc: *felemque minacem icto telo in trunco arboris affigere.*

v. 57. *Eres* nomen est animalis pelle spinosa vel aculenta vestiti, quod postea ericius vel erinaceus dictum est, et suo ipsius sinu se convolvit. Graecis ἐχῖνος dicitur. De eo Plin. VIII., 37., Opp. Cyn. II., 598.] Wernsd. Adde Salmasium ad Solin. p. 277. A. C. Verba: *implicitum sinu*, ut iterum lapsum Burmannum redarguam, de venatoris sinu accepit; quoniam esset Ovidio Art. I., 561.: *implicitamque sinu abstulit.* Construe cum Barthio *erem sinu spinosi corporis implicitum.* Ceterum Burmannus confert Calpurn. Ecl. VI., 13.

v. 58. *Tali.* Heinsius emendavit *parilique* vel *talique p. d. l. cymbae.* Posterius quidem insulsum plane.

Quamquam, si modo vitio caret vulgata, mihi quidem frigidam praebet sententiam.

v. 59.—62. *Nunc primum ad maiora et ampliora transeo.* Vulgata poetis sententia, ut Claudiano praef. ad Rapt. Pros., sed eadem imperite enunciata ab Olympio, qui pro materia carminis nimis altos sumpserit spiritus. Sed in sequentibus sententiarum adeo ordo interruptus, de qua re vide praefationem.

v. 59. *ratis vicinis sueta moveri lit.*, ingenium parum adhuc rebus altioribus assuefactum, nunc primum ardua capessere periclitatur et tirocinium ponere audet, tanquam navis primum in maris tempestatem demissa. *Dum* vocula quam esset frigida, sensit Iohnsonus scripsitque e coniectura *cum. Moveri*, quod de remigio accipiendum, contrarium est illis: *dat vela notis.* Memoriae error est, quod Barthius ad Rutil. I., 219. *teneri* citat.

v. 62. *tentare* vulgare poetis, ubi de Oceano loquuntur. Comparat Barth. Claud. praef. ad lib. I. Rapt. v. 7.: *tentare sinus*, Burmannus Ovid. Ep. VII., 57.: *tentantibus aequora* et not. ad Val. Flacc. I., 197. 529.

v. 63.—85. Carini et Numeriani Caesarum, Cari filiorum, praeconium. Vide, quae in praefatione disputavimus. Mox, ait, altiore spiritu ad vestram evolabo virtutem pandamque laudem vestram, orbis terrarum magni victores. Versu 63. *maiore lyra* a Barthio ex vetusto exemplari est restitutum. Ita Horat. Carm. IV., 2., 33.: *concines maiore poeta plectro Caesarem.* Alteram scripturam *meliore*, libris vulgatam nostris, etsi sat magna verborum copia servare studet Burmannus, tamen nihilo praestabiliorem reddidit antiqua. Imitationem Virgilii Georg. III., 46.: *Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas Caesaris* notavit Wernsdorfius.

v. 63. *nostrum* mare mediterraneum putat esse Burmannus. Melius utriusque Oceani litora ad orientem et occidentem Romano imperio subiecta intelligit Wernsd. Idem *fines* vere intellexit *extrema* terrae. Scilicet Burmannus putat, fines esse cardines. Heinsii coniectura *gemini s.* non est vilipendenda.

v. 66. *edomitas fraterno numine gentes. edomitas*, prorsus eradicatas, sublatas, ut exponit scholiastes ad Horat. Carm. IV., 5. v. 22. Confert Burm. Ovid. Art. III., 114. *fraterno numine.* Nihil vulgatius, quam magnis ducibus divinum tribuere numen. Ovid. Trist. V., 3., 46. Fast. VI., 92. 260. Horat. Carm. IV., 5. v. 35. Infra v. 77. Caesares *bona numina* vocat.

v. 67. 68. *bibunt.* Plane inficetam geminationem huius verbi Barthius vocat. Heinsius in uno libro emendarat: *habitant;* in altero: *Tigrimque*, *Albimque*, *Ararimque.* Iohnsonus et Burmannus: *Niliquе vident ab o. f.* Sed Lucanus X., 191.: *spes sit mihi certa videndi Niliacos fontes* est alienus. Fortassis *metunt* ab Nemesiano scriptum, ut a Gratio v. 314. Arar Galliae fluvius, qui in Rhodanum influit. cfr. Virgil Ecl. I. v. 62.: *Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.* Aen. VII., 715.: *Qui Tiberim Fabarimque bibunt. Principium*, fontem. Affert Melam I., 9. Burmannus.

v. 69. *Nec taceam.* Prorsus vitiosa nec nisi inferiori Olympii aetati familiaris coniunctivi praes. prima persona pro futuro. Neque tamen huic est vitio assignandum, quod e Calpurnio IV., 153.: *tum Meliboee, sonent*, laudat Wernsd. „*Sub Arcto* quod confecerit Carinus, bellum intelligo Sarmaticum, quod a Probo apparatum Carus magna ex parte profligavit, sed nuntiato Persarum tumultu ad Orientem profectus Carino haud dubie, cui Gallias, Italiam et Illyricum regendas commiserat, conficiendum reliquit. Vid. Vopisc. c. 8. Eutrop. IX., 18.“] W e r n s d. — *primum* vox omni-

bus iure incommoda visa. Mavult Heinsius *extrema*, vel *extremam sub arcton*, ab antiquis litteris, ut solet, aberrans. Multa quidem coniectando licet extricare. Quid igitur? *prima* fortassis pro *extrema* scribendum, vel *princeps* ab Olympio profectum.

v. 71. *paene prior*, i. paene praeferendus patri divo. *Deus* Carus vocatur, ut defunctus et divus, sed idem nomen etiam vivo datum, notamus ad Calpurn. Ecl. I. et IV.] Wernsd. Nihil frequentius quam elisionis omissio, in caesura potissimum tertii pedis. Vid. v. 150. Virgiliique verba: *Et succus pecori et lac subducitur agnis*, alia. Itaque absonum est Burmanni inventum: *duxque intima* vel: *vive int.*

v. 72. *Intima Persidos* nominat, quia Mesopotamia capta Ctesiphontem usque pervenit Carus, cuius hic gesta Numeriano tribuuntur per adulationem. Vid. Vopisc. et Victor. c. 38.] Wernsd.

v. 73. *Cacumina regni*, imperatores.] Burm. Potius cum Wernsd. intellige fastigium et maiestatem imperii Romani, quam Parthi saepe Romanos lacessendo violaverant.

v. 74. *Imbellem fugam* Parthorum vocat, quando non, ut alias, fugiendo pugnant, retro missis sagittis, sed vere fugiunt victi.] Wernsd. Ita etiam Burm. Impedita ista quidem explicatio. *Imbellis fuga* est, quae impetui opposita est, debilis, timida. — „*clausae pharetrae*, unde nullae ad pugnandum sagittae promuntur.“] Wernsd. *laxosque arcus*, quiescentes ob fugam. *spicula nulla* quid esset, plane Iohnsonum fugit. Barthius *muta* ex MS., quam emendationem illustravit Gronov. ad Stat. Silv. diatr. cap. 41. Ita quidem *muta* sunt, quae non stridorem per aërem edunt. Contrarium est apud Euripid. Herc. fur. v. 1055. Herm. τοξήρει ψάλμῳ τοξεύσας. coll. Hom. Iliad. I., 94. *stridentis sibila teli* Sil. It. IX., 247. Retinet

vulgatam Burm., sed explicat: „quod nulla spicula emiserint." Abiice tu ista omnia. *nulla* sunt vana, quorum usus est nullus. *Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?* Propert. I. el. 17. v. 12., ubi temere *muta* olim correctum a Barthio Adv. c. 1. Propert. I. el. 5. v. 22.: *aut cur sim toto corpore nullus ego.* Ita centies. Plane igitur Graecorum *οὐδείς* expressit: *ὦ νῦν μὲν οὐδεὶς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας* Aristophanes Equ. 158. *κἄμ' ἴσον τῷ μηδενί* Sophocl. Oed. C. 918. vid. Matthiae. Gr. gr. §. 437.

v. 76.—85. Haec ego carmina Vobis offeram, ubi primum sacro et augusto habitu reduces Vos conspexero. Iam nunc pompam et splendorem in urbem ingredientium, comitante Senatu et exercitu, tamquam oculis cernere videor.

v. 76. *Libabunt*, offerent, sacrabunt. a sacrificiis sumtum.] Wernsd.

v. 77. *Vultus sacros*, ut v. 81. *augustos habitus.* cfr. Calpurn. VII., 76. seqq.] Wernsd.

v. 78. *nota.* Codicis sui auctoritate permotus, cum *vota* repperisset, *vòto* reposuit Barth. Id quid sit, nos quidem ignoramus. Quis enim coniunxerit: *voto — praesumit?* — Prorsus contrarium est enim:

— spes anxia mentem
Extrahit et longo consumit gaudia voto

apud Statium Theb. I., 322. Ibi videlicet longa spe minuuntur gaudia; apud nostrum aucta sunt et crescunt. Explicat Wernsd. vulgatam sic: „percipit, quae novit futura." At enim per se intelligitur, nota esse, quae percipiantur. Quid multa? *nota* inquit *κατὰ πρόληψιν:* ita praesumit, ut nunc fiant nota videaturque hoc ipso tempore illa sentire. De quo genere loquendi egi ad Gratii v. 357.

v. 79. *temporis impatiens.* moram ferre nequiens explicat Burm., ut *impatiens morae* Sil. Ital. VIII., 4.

v. 80. *praesumit*, praecipit, anticipat. Ita *praecepta gaudia* Ovidio Met. X. v. 310.

v. 81. Describit hic poeta pompam et splendorem Caesarum in urbem ingredientium, comitante Senatu et exercitu, quae ita fingit animo, ut tanquam oculis cernere videatur.] Wernsd. *Augustos*, ἱερούς, sanctos, maiestate plenos. *Πάντα τὰ ἐντιμώτατα καὶ τὰ ἱερώτατα αὔγουστα καλεῖται.* Dio lib. LIII. Cfr. Sueton. August. c. 7. Uterque apud Gier. ad Ovid. Fast. I., 609. *clarum* proprium senatus epitheton esse, notavit Burmannus. *puerique claris Patribus orti* Horat. Carm. IV., 6. v. 32. *Claro cingatur Roma Senatu* Claud. cons. Olybr. 19. Itaque plane absonum, quod amicus quidam Barthio subiiciebat: *patrumque.*

v. 82. Imperite Heinsius *fulta* legebat. Vid. Grat. v. 223.

v. 83. Paullo aliter, quam antiquitus, *devotio* et *devotus* aetate Nemesiani dicebatur de fide militum et ministrorum, sacramento Imperatori adstricta.] Wernsd. De Eumenis militibus, Burmanno auctore, ait Iustin. XIV., 4. Idem Burm. confert Cod. Theod. lib. III. tit. 27. ibique Iac. Gothofredi commentarium.

v. 85. *Dracones* erant a Traiani inde aetate signa cohortium militaria, qui rictu tantum argenteo, ceterum e pannis coriisve pictis facti facile inflari vento et agitari poterant. Lips. de mil. V., 5. Similiter descriptos habes apud Claud. tert. Cons. Hon. v. 138.] Wernsd. *Undantes anguibus hastas* dixit Claudian. II. in Rufin. 177. ubi vid. comment.] Burm.

v. 86. Invocat nunc poeta, ad argumentum accedens, Dianam, quae venationi praeest, ut Gratius et Oppianus faciunt. Invocat autem sic, ut eam iubeat venatricis habitum sumere, h. e. venari secum, aut venanti

sibi praeesse. Habitum venantis amplius descriptum vides ab Oppian. I., 91. Grat. v. 338. Virg. Aen. I., 318.] Wernsd.

v. 88. *Sume habitus.* Habitum venatoris.] Titius.

v. 89. *Aurea*, quibus admirabilis vis inest, ut *aurea* Mercurii *talaria* Virg. Aen. IV., 240. *aureus ramus* Aen. VI., 187.] Wernsd. Aurea sunt quaevis armamenta Dianae. *παγχρύσεα τόξα* Hom. h. II. in Dian. 5. Cfr. Ovid. Met. I., 697.

v. 90. *Cothurni* sunt calceamenta venatoria, quibus crura quoque vinciuntur, notante Servio ad Virg. Aen. I., 337. Hinc in ornatu Dianae sunt. Virg. Ecl. VII., 32.] Wernsd. ἐνδρομίδας vocat Callimachus et Nonnus. Festus *semiplotia soleas dimidiatas, quibus utuntur in venando* vocat.] Ulit. Hypallagen, quae inest verbis *aptentur crura coth.*, animadvertit Burm., sed falso comparavit Ovid. Met. XI., 456., ubi *aptare* est *instruere*, *ornare*, *armare*.

v. 91. Fuse de his verbis egit Wernsdorfius Excursu ad Nem. IX. Facit poeta Dianam chlamyde indutam, quam constat vestem esse militarem et venatoriam, apertam, oblongam, in angustam desinentem, superioribus angulis fibula infrenatam, collo astristam, circa humeros volantem. Tale paludamentum, quod scuti instar circum laevum brachium torquebatur, ex Livio 25., 16. commemorat Ulitius, Burmannus monstrat Petron. 73. 80. Chlamyde induti venatum exeunt Dido ap. Virg. Aen. IV., 137., Picus apud Ovidium Met. XIV., 345. Sed in ea re Wernsdorfius putat negligentiorem fuisse Olympium, qui chlamydem tribuerit Dianae, cui tunica potius (*χιτών*) esset tribuenda. „Chlamydi enim nec *sinus*, nec *balteum* convenire, utpote quae brevis sit et circa humeros volet. Videri igitur Nemesianum exprimere, quam Callimachus hymn. Dian. v. 11. vocat λεγνωτὸν χιτῶνα Dianae, quam explicat virgis et taeniis aureis intextam, et in iconibus veteris

aeris observari docet Spanhem. ad h. l. Tunicam enim vel χιτῶνα ad genua usque succinctam Diana a patre Iove petit, non chlamydem, et propterea, quia venandi praeses est, Χιτώνη Ἄρτεμις vocatur. Praeterea Dianam, ubi κυνηγός s. ἐλαφηβόλος pingatur, nunquam chlamyde indutam apparere, sed sola tunica, eaque ad genua usque substricta duplici cinctu, cum contra Diana φωσφόρος vel δᾳδοῦχος tunicam ad talos defluentem haberet." Haec partim vera sunt, partim falsa. Et falsum quidem illud imprimis, quod ait, carere omnino chlamyde Dianam κυνηγόν, quam constat chlamydem habere curtae inductam tunicae in marmore a Spanhemio ad Callim. h. D. v. 104. producto. Exstat etiam Diana in numo Gordiani iunioris a Daldianis cuso, qui inter numos maiores cimeliarchii regii Paris. tab. 26. et ab Harduino in num. pop. et urb. illustr. p. 600. proponitur chlamydem habens leviter ex humeris volantem. Atque haec ipsa commemorata sunt ab Wernsdorfio Exc. p. 259. Itaque de chlamyde nulla amplius dubitatio est. Iam vero illud liquet opinor, sinus ac balteum non ad chlamydem posse pertinere. Namque non hanc, sed *vestem* sive tunicam *purpuream subnectit fibula* Virgilio lib. IV. Aen. v. 137. Chlamys autem, breve vestimentum, non succincta erat. Quid igitur? Nempe quid verum apud Olympium sit, facile potest ex re ipsa perspici. *Corrugesque sinus* non ad chlamydem, sed ad tunicam longiorem et interiorem refer, quam fibula subnectebat. Deinceps verba *aurato subtemine lusa* verissime explicata sunt ab Wernsdorfio; itaque lusu quodam artis fila deaurata intexta habebat. *Illusas auro vestes* Virg. G. II. v. 464. i. e. pictas. Heynius commemorat *ludere, lusus, ludibrium*, ὕβρις verba, quae artificium significant naturam imitans. Planior est locutio: *picturatas auri subtemine vestes* Virg. Aen. III. v. 483. Aurum igitur erat intextum. Hinc patet, quantum Spanhemius lapsus sit ad Callim. h. D. v. 11., qui *fusa* legerit pro *lusa.*

v. 92. *Corrugesque sinus* sunt deorsum crispati et compilati ex astrictione cinguli.] Wernsd. Exc. IX. p. 258. Priores interpretes afferunt Virg. Aen. I., 320. *nodoque sinus collecta fluentes.* Aen. IV., 139. Statius Theb. IV., 266.: *undantemque sinum nodis irrugat Iberis.* Praeterea explicandi caussa Wernsdorf. iubet Claudianum adire Rapt. Pros. II. v. 33.:

Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu
Poplite fusa tenus.

Crispata vestis est *corrugis* nostro, et, quod hic balteus, ibi *cinctus* est. *Gemmatis nexibus*, quia balteus gemmis erat distinctus.

v. 93. *diadema* hic mera est fascia, quae *implicitos*, plexos et subligatos crines *cohibet*, ne diffusi impedimento sint venanti. Alias venatrix apud Virgil. A. I., 319.: *dederatque comam diffundere ventis*, et apud Claud. R. Pros. II., 30. ipsa Diana *levibus proiecerat auris indociles errare comas.]* Wernsd.

v. 94. Nympharum omnis generis Diana comitatu et choro gaudet, cum iisque venatur. Inde χορήτιδες dicuntur Callim. Dian. v. 13. et conf. Ovid. Met. II., 441. *Faciles* epitheton ex Marone Ecl. III., 9. et Prop. II., 25., 76. *Viridi iuventa pubentes* Callim. v. 14. 43. expressit εἰνέας ἔτι παῖδας ἀμίτρους, *novennes*, *iuvenculas* et *adhuc impuberes*. Nempe ea aetate puellae sunt lepidissimae.] Wernsd. Cfr. Gratium v. 16. sqq. Propter lasciviam igitur et petulantiam vocat *faciles*, nec poterat a Burmanno *facilem amori* comparari Tibull. I., 3., 75. Sed iste hic quoque aliena omnia miscet. *Viridis* est iuventa, quae in flore annorum est. Confert Burm. χλωρά Graecorum Theocr. Cynisca Id. XIV., 70. οἷς γόνυ χλωρόν et not. ad Rutil. I., 116.

v. 96. *docilis*, quae ad auditas voces facile respondet. Cfr. Virg. Georg. IV., 49. Ovid. Met. III., 401.

lpurn. IV., 28. — *decantet*, Oreadum in montibus habitantium frequentiam resonando indicet.

v. 97.—102. Age igitur, Diva, duc vatem dedita Tibi ac mancipatum, doce investigare *domos*, cubilia ferarum (Grat. v. 235. Virg. G. I., 182.). En, quicunque venationis estis studiosi, huc agite, quicunque lites, tumultus, civiles strepitus et belli fragores aversamini, lioremque habebitis voluptatem!

v. 97. Vocabulum *avia* novo quodam more substantivi loco usurpari annotavit Titius. Burm. confert Virg. n. IX., 58. Grat. Fal. v. 343. Vid. supra v. 8.

v. 98. *domos.* Virg. G. I., 182. *muris domos.*] Wernsd. Lucret. li[illegible] *domos avium.* Grat. v. 235. *itaque domus quaesita ferarum.*] Barth.

v. 99. Omnes libri praebuerunt Iohnsono *hinc.* ic ante Marklandum ad Stat. Silv. I., 461. edidit Ulitius.

v. 100. Barthii editio praebuit *avidos.* Eam scripturam reprobavit homo sagacissimus, Ulitius, iccirco, in versu 102. iterum legebat *avidus* vocem. Astipulatus igitur Ulitii coniecturis *rabidos* vel *pavidos* Iohnsonus. Eadem discrepantia scripturae est in Horatii editionibus Carm. I., 28. v. 18. atque Art. Poet. v. 172., infra ad nostrum v. 271. Tuetur vulgatam Wernsdorfius et *avidos tumultus* intelligit de tumultu et discursu negotiantium et lucra petentium in civitate. Burmannus olim probat *pavidos* ab Ulitio correctum, qui intellexisse videtur timore ac trepidatione, unde nascitur tumultus, quemadmodum Lucan. I., 297. VII., 127. *trepidum tumultum* erit. Id quod nobis coactum et durum genus explicandi videtur, probamusque *rabidos*, alteram Ulitii coniecturam. Versus enim 100.—103. ita sunt dispositi, ut duobus prioribus de civili perturbatione, versu 102. de avaritia negotiantium agatur.

v. 102. Iterum a vulgata scripturae continuitate noluimus recedere. Sed praeplacet: *avido s. gurgite ponti* ob maiorem elegantiam sermonis. Horatio Carm. I., 18., 17. ex editionibus vetustis *avidum mare* reposuit ingeniose Bentleius. Significari autem mercatorem, qui lucri causa mare navigat, recte existimarunt Barthius et Wernsd. Horat. Carm. I., 28., 18.: *Exitio est avidis mare nautis.* et Tibull. II., 3., 39.: *Praeda vago iussit geminare pericula ponto.* Hinc profecto mirabere, cur de piscatione cogitaverit Ulitius, qua nihil ab sententia alienius est. Alienum Burmanni quoque commentum, qui piratam intelligere mavult, quam sententiam sustentare loquacitate studet intolerabili.

v. 103.—130. Parentes canum venatici quales ad procreandum admitti debeant, docetur. v. 103.—105. Ineunte anno admitte canes. Idem fieri iubet Varro R. R. II., 9. annotante Wernsdorfio. Sed versu 103. 104. nimis cumulatus est et frigidus sermo: *Principio incipiat tibi non segnis cura primo ab anno.* Itaque interpungendum videtur post *canum* vocabulum.

v. 104. *Ianus*, quia Ianuarius primus est anni mensis. *pandit*, incipit. Fortassis de templo Iani est cogitandum, quod introituris ipso initio anni *reserari* a Deo capit Ovid. Fast. I. v. 70. — *aevum inocciduum*, perpetuo in orbem revolutum. Ita priores recte. Confer κυλινδόμενον ἐνιαυτόν.

v. 106. *facilem*, velocem simul atque promptum et iussibus obtemperantem. vid. v. 196. Grat. Fal. v. 160.

v. 107. Vid. Grat. v. 160. 197. 212. 271.

v. 108. *multam carinam*, i. amplam et profundam costarum compagem, qualis est forma carinae navis, a qua pectus animalium *carinatum* dicit Plin. N. H. XI., 37., 82. Oppianus I., 408. πλευρῶν ἐπικάρσια ταρσά. *Costa-*

um sub fine; i. ubi desinit costarum series, ad armos. *icca alvus*, macra et gracilis, *se colligat*, sensim contraatur.] Wernsd. *Navem* pro ventre αἰσχρολογικῶς posuit Plautus Menaechm. Act. II. sc. 3. v. 51.] Ulit. in Add. *Carinam equi* costas vocat obliquas vetus scholiastes ad Stat. Theb. XI. v. 512. Burmannus mavult distinguere: *cost. sub. fine*, *decenter prona*, *car.*

v. 112. *Renibus* pro lumbis dicit sequior latinitas, Oppian. I., 409. ὀσφύες εὔσαρκοι, μὴ πίονες. *diducta* est *ala.*] Wernsd.

v. 113. *nimis molles* pro *valde* nihil tritius apud optimos auctores.] Iohns. Suspicatur tamen Burm.: *itis.* Auctor Cynosophii cap. 4. in collect. Rigaltii: τὰ ὦτα ἐχέτωσαν μεγάλα καὶ μαλθακά.] Wernsd. ἄγαν pro πάνυ dici commemorat Hesychius.

v. 114. *Parilem submitte marem*, ut Gratius v. 263.: *junge pares ergo*. Proprie de feminis dicitur *submittere*, *admittere* de maribus. Sed haec permutantur fere. Virgil. Ecl. I., 46. [Virgilii locus plane alienus]. *Sic*, ut canis femina, quam descripsi. *omnia magnum*, κατὰ πάντα. Virg. A. IV., 558.: *Omnia Mercurio similis*. Videtur hic ante oculos habuisse Virgilium Georg. III., 54.: *Tum longo nullus lateri modus: omnia magna.*] Wernsd. Ita quidem *magnum* ad *marem* appositionis ratione pertineat est necesse, id quod tum ab verborum structura, tum ab sententia prorsus abhorret, quam quidem hanc esse patet: *tic (si parilem submittis) nihil non egregium et admirabile erit.* Ergo nominativus est: *omnia*. Dixit autem poeta *magnum* non sine ratione sententiae. Apud Virgilium verba *omnia magna* ad singulas partes referuntur. Apud nostrum singulari numero *totum* significatur plurium mixtura effectum: *So ist alles ein grofses Ganzes.* Ad Graecos igitur si recurrendum videbatur, ἅπαντα δυςχέρεια Sophocl. Philoct. v. 902., vel similia commemoranda erant.

Sed illa Scaligerum plane fugerunt, qui reposuit: *sunt omnia magna.*

v. 115. Similem sententiam e Virgilio Aen. II., 638.: *Vos o, quibus integer aevi sanguis,* Valerioque Flacco I., 336.: *O si mihi sanguis Quantus erat'* confert Burm.

v. 117. *Subeunt*, proxime sequuntur.] Wernsd. Immo tacite obrepunt. Virg. Georg. III., 67.: *subeunt morbi tristisque senectus.*

v. 118. *Dabunt* utrum cum *morbis* an cum *canibus* iungendum esset, copiose a prioribus est quaesitum. In quibus miror Iohnsonum esse, hominem alioqui sanissimum. *Morbi* vox si subiectum est, utrumque, *invalidam* et *infirmo corpore*, languida oratione ad prolem est transferendum. Ergo canes intellige; *illi*, si *infirmo* sunt corpore, prolem procreabunt infirmam. Ex Burmanni coacervata doctrina intelliges, si forte ignoras, *dare* esse idem ac *procreare*, ut Ovid. Ep. VI., 122. Claud. Gigant. 56. Virgil. Aen. I., 274. *Invalidi* posuit Iohnsonus, quum *invalidam* mendosum sine caussa iudicaret.

v. 120.—122. Marem admitte triennem, feminam duorum annorum.

v. 122.—130. Varia enumerat canum genera ad procreandum utilium. Copiosius vides ea Gratio tractata. Laudat Spartanos, Molossos, Britannos, alios.

v. 124. *Pascendum catulos.* Exempla huius locutionis non desunt. *Vultum aspiciendum fuit* Varro R. R. III., 3.; *viam, quam nobis ingrediendum sit* Cic. de sen. c. 2.; *nuptiis valetudinem medicandum* Apul. Apol. II., 359. Vechn. Hell. p. 372. Voss. de anal. III. p. 50. 51. Gronov. Obss. I. c. 7. extr. Heusinger. ad Cic. off. I. c. 31. — *Divisa Britannia* longe dissita a nostro orbe.] Titius. Virg. Ecl. I., 67.: *toto divisos orbe Britannos.]* Barth. *Diversos extollit gloria Celtas* Gratius v. 156.

v. 125. *nostri orbis*, Italiae.] Iohns. De canibus Britanniae vid. Gratium v. 175. et Oppian. Cyn. I., 469., quos affert Wernsd.

v. 127. *Iberos* canes, qui ab Oppiano et Nemesiano nominantur, ex Iberia Asiae, non Europae, intelligendos, persuadet Ulitius.] Wernsd.

v. 128. *siccae Libyes.* Amm. lib. XXII. c. ult. *aridiorem* etiam vocat *Libyam*, regni Cyrenaici portionem, quae proprie *Libya* ab aliis dicitur.] Burm.

v. 130. Iam, ubi duobus mensibus exactis largam progeniem partu edidit mater (v. 133.), cave, ne nimis numerosa prole catulorum vel ipsi misere extenuentur, vel mater sensim elanguescat lactitando (v. 139.). Tum attende, quibus signis praestabiliorem catulorum et natura (vv. 145. 146.) et ipsa mater a vilioribus distinguat (vv. 147. — 157.).

v. 130. *formavit.* Praeter necessitatem, ut solet, Heinsius coniecit *renovavit*, ut versu 186. dictum erat: *reparaverit ortus. Formare se* explanavit Burmannus. Est igitur *plenam formam sumere* (cum bis fuerit plenilunium) ut *pleno robore artus formare* infr. v. 287. Ita Ovidio Met. I., 363. Similem sententiam Burmannus ex Ovidio adduxit Met. II., 344. VII., 530.

v. 131. *passa marem.* Virgil. G. III., 60. *Aetas Lucinam iustosque pati Hymenaeos.]* Barth. Grat. v. 281.

v. 132. Restituit versum, qualem in textu dedimus, Barthius, cum in libro vetusto perscriptum exstaret: *foecundo se aperit partu.* Horat. Carm. Sec. v. 13.: *Rite maturos aperire partus. Gravedo* vocem, hac quidem significatione insolentem, ut aetati Olympii debitam Wernsdorfius notavit; alias dicitur *gravitas*, ut Ovid. Met. IX., 287. Addidit Burm. Daum. Epist. ad Reines. 60. et *maturum pondus* ap. Ovid. Met. IX., 683., quod illustravit ad Phaedr.

I., 18. Idem ex Horatii loco nescio cur finxerit: *maturos ap. p. foecunda gr.* Nam cum ex re ipsa, tum ex sequentibus potest intelligi, hic non maturitatem, sed fertilitatem uteri spectari.

v. 134. *Sed*, veterem scripturam, restituit Ulitius. Ulitius edidit *ut*, quod librariorum errore ex *at* natum putatur. „*Quamvis avide* cupias multos habere canes, praestabilius tamen, si sapis, iudicabis, omnes primi partus catulos contemnere, *mox* etiam, secundo partu, non omnes editos nutrire, quia catuli fient macilenti, et mater invalida. Columella VII., 12., 11.: *primus effoetae partus amovendus est. Minores* dicit catulos, ut Grat. v. 303." Wernsd.

v. 139. *Lassato viscere*, ubere, quod detracto nimium lacte deficit. V. Grat. v. 288. *Viscera* praecipue vocantur, quae ad formandum alendumque foetum pertinent. [Hinc etiam *fessa viscera* dicit Claud. Rapt. Pros. I., 124., quae desierunt generare et parere.] Wernsd. *Viscus* singularem aspernantur Sosipater et Diomedes grammatici auctore Vossio de analogia lib. I. c. 24. p. 220. Legitur tamen Ovidio Met. VI. v. 290.: *trahens haerentia viscere tela*, quem locum Priscianus affert lib. VI. p. 221. Sosipater addidit lib. I. Lucilium: *viscus aprinum*, quod aliis *aprugnum*. Idem Charisius meminit genitivi *visceris*. Exstat praeterea Lucretius: *Visceribus viscus gigni.* Suetonius in Vitellio cap. 13.: *nec temperavit, quin inter altaria ibidem statim viscus — manderet* apud Vossium l. l., qui et Celsum citat. Barthius commemorat Claudianum Hystr. 38.: *intendunt taurinos viscere nervos.*

v. 140. Sin vero curas, ne optimus catulorum necetur et domo amoveatur. *Abdere* sua quidem propria significatione est *removere, abiicere. Et procul ardentes hinc procul abde faces* Tibull. lib. II., 1. v. 82. Apte locutio ista *abdere domo* cum Virgilio comparatur Georg. III., v. 96.: *abde domo, nec turpi ignosce senectae*, quae copiose

piose tractavit Gronov. de Pec. Vet. IV., 8. Quid est igitur, quaeso, quod Burmannus audiatur multis verbis demonstrans, abdere cum dativo etiam construi? Nempe *domo* pro dativo ecquis accipiet paullulum sobrius? *probare* si ignoras *exigere*, *experiri* esse, disces hoc quoque a Burmanno quattuor et viginti linearum ambitu!!

v. 142. *passa.* Incerto et diverso tempore oculos pandi catulis, tradit Plinius VIII., 40., 62.] Wernsd. Heinsius probabat *pansa*, quia ita saepe reperitur in veteribus codicibus. Eundem ad Prudent. Cathem. Hym. XII. v. 170. et ad Ovid. Am. III., 2., 45. Gifan. Ind. Lucret. in *dispansus* commemorat Burm.

v. 143. *Luciferum iubar. Iubar* sumitur pro sereno sole. Vid. ad Val. Flacc. V., 309., Serv. ad Virgil. Aen. IV., 130. Cfr. Virgil. Georg. III., 324. Sed poetae confundunt et aurorae, diei, soli, Lucifero tribuunt. Cfr. Ovid. Fast. V., 547., ubi a Lucifero distinguitur. Lunae tribuit Petron. cap. 89. De genere masculino notat Barth. Adv. 3. et ad Stat. Theb. I., 343.] Burm. Quoniam de genere loquitur Burmannus, adde Priscianum libro V., allatum ab Vossio de anal. lib. I., 25. p. 93. ibique laudatum Ennium, alios.

v. 144. *spectatis*, usu comprobatis. Itaque verbis opponitur usus et experientia. Ovidium cfr. Met. XIII., 120. Gratium Cyn. v. 379. 380. — *intrepidus annue*, fidem habere ne dubita.

v. 145. *Perpendere*, ponderando examinare. Gratius v. 299. de eadem re *perpensare.]* Wernsd. Ulitius genuinam scripturam putat esse *cursus* corruptamque iudicat, quam in vetustissimo libro repererat, *cursu.* Sententiam eandem esse, docuit Burm. ad Phaedr. I., 12. Mart. IV., 9.; sed *cursu* mavult cum Iohnsono. Plus discriminis versatur in explicatione sententiae, quam parum recte ita formarunt Barthius, Ulitius, Burmannus: Ex corporibus

gravibus agnosces leves cursu. Ergo ponderosissimus quisque celerrimus erit. At enim aperte pugnant ista cum iis, quae Gratius exponit v. 299. sqq. Melius igitur Wernsdorfius statuit: „*poteris e corporibus gravibus*, vel iis, quae praeponderant, *praenoscere*, qui *leves cursu* futuri sint, nempe leviores pondere. nam graves promittunt grandia membra, non autem velocitatem.“ Cfr. ad Grat. l. l.

v. 147. *Ducatur linea*, ponantur ignes serie in orbem ducta. *habilem orbem* dicit aptum instituto operi, ut catuli possint tuto eo orbe includi.] Wernsd. Contulit Barthius Maronem Georg. II., 92. Columellam lib. III. c. 2. *habilem arbori et iugo.* Rem ipsam expressit Demetrius Constantinopolitanus: *Εἰ ἐπιθυμῇς καλοὺς κύνας κτᾶσθαι, οὕτως αὐτοὺς δοκίμαζε· στεφανοειδῆ κύκλον ποιήσας ἀπὸ χόρτου, ὅσον περιγραφὴν τροχοῦ ἁμάξης, θὲς τὰ σκυλάκια εἰς μέσον τοῦ κύκλου. τὴν δὲ κύνα ἔχε ἰδίᾳ· ὕφαπτε δὲ τὸν χόρτον. ὑφαπτομένῳ ἀπόλυε τὴν κύνα. καὶ ἴδῃς ὅτε εἰςέρχεται ἀνὰ μέσον τοῦ πυρὸς μὴ φοβουμένη τῶν ἰδίων τέκνων· ἐπιλέγεται δὲ φυσικῷ τινι πόθῳ καὶ διακρίσει τὰ βελτίονα καὶ ἐξάγει* — allatus a Casp. Barthio Adv. XV., 8, et Ulitio. Burmannus eundem putat esse, quem Rigaltius edidit inter rei accipitrariae scriptores.

v. 148. *vapor igneus.* Ignis ipse. Virgil. Aen. V., 682. Lucret. lib. V., 340.] Barth. Vid. Barth. Adv. XXXVII., 6. et not. ad Ovid. Met. II., 811.] Burm.

v. 149. Eleganter *ut* omissum.] Barth. Nihil criticis quibusdam usitatius, quam cuius rei rationes expromere vel nollent vel non possent, eas tribuere elegantiae. Nauseam faciunt mihi quidem usque ad hunc diem tanta in Virgilio elegantiarum praeconia. Aut igitur vere Iohnsonus emendavit: *ut medio*, aut coniunctivo optandi vis inesto.

v. 151. *Mater* ipsa *examine* suo, dum alium prae alio eligit catulum, *dabit*, prodet, indicabit, *partus honestos*,

h. e. qui catulus sit generosior, et, ut Gratius v. 291. exprimit, *ille tuos olim non defecturus honores.]* Wernsd. *Honestos* generosos expl. Barth. Burmannus adduxit vers. 108. et not. ad Petron. c. 55. Virgiliumque Georg. III., 82.: *spadices honesti.* Porro, qui profert emendationem cum Heinsio suam: *examen*, Burmannus pessime construit: *examen — servans.*

v. 152. Duplicem constructionem vidit Burmannus: *per iudicium servans* et *a periculo.* Fortassis ideo Scaliger emendavit: *Exitio s.* Nos neutrum probamus interpretamurque per figuram ἓν διὰ δυοῖν: *Iudicio de trepido periculo. Trepidum periculum* cum verbis Ovidii Trist. III., 1. contulit Ulit.

v. 154. Continuo mater transiliet igneum circuitum et praestantissimum in cubile fert. Plinium N. H. VIII., 62. laudat Wernsdorfius: *Optimus in foetu, qui novissime cernere incipit, aut quem primum fert in cubile foeta. — Portatque cubili.* Sic Virg. Aen. V., 451.: *it clamor coelo; Aen.* I., 181: *omnem prospectum late pelago petit.* Aen. XII., 408. Georg. IV., 562. Horat. Carm. I., 24. v. 18.

v. 157. *virtutis amore*, impetu quodam naturali delata ad praestantiorem catulum.

v. 158. — 200. Catuli quomodo educandi docendique sint, exponit.

v. 158. *genetrice simul.* Graecorum compara ἅμα et ὁμοῦ. Usum hunc loquendi non nisi mortuo Cicerone innotuisse censet Bentleius ad Cic. Tusc. III., 18. Sed ex Virgilio exempla contulit, quem Burm. affert, Heinsius ad Ovid. Fast. I., 177. Gronov. ad Stat. Silv. V., I., 213. Titius Virgilium commemoravit Aen. IX., 815., Tacitum Ann. IV., 55. Adde Horatium quoque Sat. I., 10. v. 86. Nemesianum adduxit etiam Lipsius Ep. Quaest. lib. V., 13., Vossius de constr. p. 249.

v. 159. *Molli pasce sero passim* —. Serum praebere catulis Virgilius iubet Georg. III., 405.: *Spartae catulos acremque Molossum Pasce sero pingui.* Cfr. Grat. Cyn. 307. *Serum* igitur (Molken) *aquam lactis, quae pingues efficit canes* interpretatur Servius ad Virg. l. l. Ambigitur de interpunctione. Apud Barthium est inventum: *pasce sero passim. nam lactis* —. Heinsius autem pro sua temeritate reposuit: *pasce sero: passi nam l. a. T. a.*. Isti, credo, delicatuli canes caseum — τυρόντε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρόν — devorassent!! Redeo ad interpunctionem. Quae si ita formatur: *Molli pasce sero passim. Nam* —, sermonem efficit languidum et distractum. Itaque *passim* (h. l. *ubique, nullo discrimine*) construendum cum *abundans.* Wernsdorfius sic reddidit: Tempus adest, ubi obvium ubique et parabile lac est. *Glans aluit veteres et passim semper amarunt* est apud Tibull. II., 3. v. 69.

v. 161. Panem lacte mollitum (mazam vocat Gratius 307.) *cibo ministra* i. da in cibum. cfr. Grat. 329.] Wernsd. Heinsius *cibos* legebat, nihilo expeditiorem reddens vulgatam, quam corruptam putat Burmannus, ita ut epitheton Cereris lateat aliquod. Vulgatam si reddis: *zur Speise*, condonandus iste dativus est aetati Nemesiani. Certe abundat *cibo* vox. Ceterum diversum genus cibi *maza* est apud Gratium, nec poterat alienius quippiam a Burmanno comparandi caussa adduci, quam locutio: *vitiisque ministrant* apud Gratium Cyn. v. 314., nisi forte Burmannus coniunxit, si Dis placet, *cibo* — *ministra*, cohaerentibus, opinor, *Cererem ministra.* Tolerabilius erat, allatum videre ex eodem Gratio versum 329. *dapes* — *ministrans*, ubi casum adiunctum vides quartum. Quae quidem omnia valde suspectam reddunt vulgatam. Vide, ne legendum sit: *Interdum tepido Cererem cum lacte ministra.*

v. 163. *Promittere.] Promittere* est prae se ferre. Iuvenal. Sat. II., 12. *promittunt atrocem animum*, ubi

Schol. ineditus *ostendunt* explicat.] Burm. Nec *promittere* est prae se ferre, nec Iuvenalis locus huic componendus. *Promittitur* enim quod nondum datur, atqui datur et expromitur, quod *prae se fert* aliquis. Ergo *promittunt* animi atrocitatem isti apud Iuvenalem, quoniam carent illa prorsus, videnturque tantum vim in se habere quandam, speciemque violentiae prae se ferunt; promittunt catuli, quoniam adhuc ostensuri sunt, quid valeant.

v. 164. *Candentem axem*, aestivum, quo maximus calor solis. per *tardas vias* intelligit dies longiores, quibus cursus solis tardior videtur, quia longior. *cancrum morantem* dicit, quia in eo sidere solstitium est et incrementa dierum tarde consumantur et minuuntur, ut vix percipi possit. Manil. I., 567.] Wernsd. et Ulit.

v. 166. Memoriae vitio legitur hic versus a Salmasio ad Sol. p. 798.: *consuetam retinere saginam.* Saginam dicit non simplicem vel tenuem, sed fortem maxime et robustam alimoniam, quam *fortem escam* vocat infra. Iohnsonus accipit pro simplici cibo, quia loquitur poeta de canibus venaticis, qui non saginantur. Itaque etiam dormitavit iste egregie cordatus homo, catus Iohnsonus. Ista vero prior explicatio Ulitii satis hercule perspicua et plana non satisfecit Burmanno, qui multa ostendit verborum farragine, saginam et de esca et de corpore saginato dici. *tenues cibatus* molle serum intellige v. 169.

v. 168. *Ne gravis.* Edit. Steyn. hunc versum sic exhibet: *ne gravis articulos depravet pondere molles*, quod in textum admittere plane non dubitat Iohnsonus. En eius sententiam: ne gravis (cibatus vel sagina) suo pondere laxatos vel distortos reddat molles (catulorum articulos). Hac quidem ratione da, sodes, quod explicari non possit. *Moles* est pinguedo et gravitas corporis. Ausonius Ephemerid. v. 9.: *multa*, inquit, *quod potas nimiaque tendis mole saginam.* Xenophon: *αἱ βαρεῖαι πλησμοναὶ τῶν σκυλακίων διαστρέφουσι σκέλη.*

v. 169. 170. *crura natantia ponunt.]* Pithoeus male edidit *nutantia* contra Aldinam et Steyneri editiones et ipsas leges metricas. Ac mutari quidem constat ab librariis *nutare* et *natare* verba, prouti res ferebat atque inscitia. Apud Statium Theb. X., 293. vere refinxit Heinsius: *sanguineisque natant tentoria rivis* pro vulgato: *sanguineis nutant t. r.*, imperiteque auctor Manilii in usum Delphini lib. IV., 257. edidit *mens nutat* pro *natat*. *Natantia* vere explicant *vacillantia*, *titubantia*. Nam quodcunque laxum est, *natare* dixerunt poetae. Ovid. Art. I., 516.: *Ne vagus in laxa pes tibi pelle natet.* Similiter Agyllei, hominis immanis, *luxuriant artus effusaque sanguine laxo Membra natant* Statio Theb. VI., 839., quocum comparabis *fluidos lacertos* apud Ovidium Met. XV., 231. Itaque, ut ad Statium redeam, *pressatque rotas auriga natantes Myrtilus* inquit ille libro VI. v. 284., *iamiam ruituras* explicante vetusto scholiasta Lactantio. Hinc est, quod de mente dubia vacillatione huc illuc fluctuante *natare* usitatum erat. Lepide dictum est: *Democritus natare videtur in natura Deorum* Cic. de N. D. I., 43. Cfr. ibid. III., 24. Et passim ita apud poetas; *pars multa natat* Horat. Sat. II., 7. v. 7. Redeo ad Nemesianum. Cuius verba perperam interpretatur Wernsdorfius: „putaverim hic legendum: *nam tum membr.*, ut ratio reddatur, cur tenues cibatus retinendi, nam tum (ea aetate) laxare primum et explicare nodos artuum incipiunt, infirmosque pedes habent.“ Credat Iudaeus Apella. Tu ita accipe: *nam cum nimia pinguedo extrahit artuum nexus et laxat*, *infirmos pedes habent membraque vacillantia.*

v. 171. *niveis] albis* dicit Virgil. Aen. VII., 667. XI., 680. et Nicand. Alexiph. 223. *λοξαῖς δὲ κόραις ταυρώδεα λεύσσων, Θήγει λευκὸν ὀδόντα.* Burmannus, quod putat, *albos* dici, quando ad morsum stricti et parati sunt, nugatur profecto.

v. 172.—178. Cave, ne secludas catulos ante tempus, vimque emergentem praemature cohibeas. alioqui tenerorum artuum vigorem frustra effundent et languidi fient.

v. 173. *Impatiens* iusti temporis, quo vinculis sunt compescendi. *noceasque fut. curs.*, facias, ut futuram etiam velocitatem amittant. *remotis*, abditis et secretis a familia. v. 175. Ulitius interpunxit: *aut vexare trabes laceras;* et: *pandere valvas* explicat: *quibus capite saepe intercluduntur. mandere* si praeplacet cum Heinsio reponere, non multum refragamur; sed auctoritas librorum nulla est. Sed absurde *mandere humum* adduxit e Gratio v. 239. Burmannus. Rodent igitur ianuas et labefactabunt mordendo, ut possint evadere.

v. 176. In vetusto libro Barthii repertum est *a* vel *ah* pro *et*. *At* refinxit Burmannus, nimiam fidem habens Barthii auctoritati.

v. 177. *robore*, ligno quovis duriori.] Iohns.

v. 178. *Impingunt*, infigunt] Iohns. Heinsius mavult *infringunt* ad Ovid. Met. III., 84., de quo verbo exposuit Burm. ad Met. V., 83., idque aptius et significantius existimat Wernsd. adductis Statii verbis Theb. II., 556. *infringens cautibus uncas*, quasi vero significaret nihil forte istud vocabulum *impingere.*

v. 179.—181. Obscuriorem esse ordinem verborum pariter ac sententiam, priores arbitrati sunt omnes. Maximopere autem cavendum est, ne quid in verborum ratione expedienda tribuatur Burmanni auctoritati, qui conturbare lectorem solet, ubi edocendus erat. En, iste talia audet pro sermone venditare latino: „*mox quum aetas passa est insistere membris iam validis et tu — spectaveris catulos illaesis membris, tunc*“—. Atqui nuspiam legitur *et* copula, quam debebat poeta interponere, si ista voluisset

significare. Alium modum explicandi commendat idem ille ad Phaedr. III., 20.: *Mox quum (iam validis* etc. *menses* etc.) *illaesis catulos s. u. membris*, *tunc* etc. cohaerentibus videlicet *quum* — *spectaveris*, relicuis quasi per parenthesin interpositis. At non solet Olympius contorte loqui, cuius plana est ubivis ac dilucida oratio. Et haec quidem sufficiant de Burmanno. Composuit ita Wernsdorfius structuram verborum, ut *spectaveris* pro futuro haberet et apodosi prioris membri: *quum* octo menses a partu elapsi *validis insistere cruribus* passi fuerint, *mox spectaveris catulos etc.* — *tunc*. At hic quidem duobus generibus peccavit. Prius vitium in ambiguitate est positum structurae. Quis enim *quum* particulam non cum *spectaveris* primo oculorum obtutu iunget? Alterum vitium multo gravius sententiae inest: Ergo octo mensium intervallum efficiet, ut illaesis membris conspicias catulos? Immo integritas virium a cura nutrientium pendet, non a temporis aliquo spatio. Sed poetae ornatum non modo non reliquit, sed explevit undiquaque Iohnsonus; cuius emendationem nescio cur ego oblitus sim textui subscribere. Corrupta est enim *spectaveris* vox sine dubio. Ergo repone cum Iohnsono:

Mox quum iam validis insistere cruribus aetas
Passa quater binos volvens ab origine menses,
Illaesis catulos spectaverit undique membris,

Vide Virgilium Aen. I., 265. eodem loquendi genere usum:

Tertia dum Latio regnantem viderit aestas.

Cum locutione: *volvens ab origine menses* comparavit Barthius Graecorum περιπλομένων ἐνιαυτῶν. *Triginta magnos volvendis mensibus orbis* — *Explebit* Virg. Aen. I. v. 269., *volvenda dies* Aen. IX. v. 7.

v. 182. *fortem.* Verissime Barthius: quae roboret eos et confirmet. Versu 162. *fortibus ut sucis teneras complere medullas possint.* Quantum igitur emendandi libidini

indulsit Heinsius, cum scriberet: *tostis*, quia scilicet far torrebant. Id quod ne Burmanno quidem placuit. Panem igitur denuo iubet miscere lacte concreto.

v. 184. *libera colla.* Canes consuescant colla ligari ac domi claudi. Hinc est, quod Burmannus Douzae scripturam sustentari putat apud Ovid. Art. I. v. 41.: *Dum licet et collo passim potes ire soluto*, vulgatis libris: *loris — solutis* praebentibus. Istud quidem ex interpretamento fictum.

v. 185. Plane expressit, quod Wernsdorfius annotat, Virgilium Georg. III. v. 167.: — *ubi libera colla Servitio assuerint, ipsis e torquibus aptos Iunge pares, et coge gradum conferre iuvencos*, pariterque Moreti auctor v. 122.: *sub iuga*, inquit, *parentes cogit lorata iuvencos.* Ergo: cura, ait, ut eundem modum progredientes omnes teneant aequabiliter.

v. 186. Viginti post menses ad venationem tenta condocefacre catulos. *reparaverit.* Supra versu 130.: *quam se bina formavit lampade Phoebe. Reparaverit* Ovidianum dicit Barthius. Itaque cfr. Met. I. v. 11.: *nec non crescendo reparabat cornua Phoebe.* Sed vitium residet adhuc in vulgatis libris. En, octo mensibus exactis corroborandi cibo sunt, ac ligandi claudendique. Tum intercedentibus duodecim mensibus ad venationem ducendi. Itane? Tantumne spatium interiectum placet? Planum atque manifestum est, scribendum esse *senos* pro *denos*, anni unius tempus ut expleverint, ubi ad officium et disciplinam coguntur.

v. 187. 188. Brevi tunc primum cursui assuefaciendi sunt; sed, ne canes tirones nimio cursu fatigentur, parvam elige vallem vel agrum circumseptum. Exquisite *producere* usurpavit verbum utpote de primo educationis experimento extra domesticos parietes usitatum. Ovidius Met. VIII., 213. de ave parente: *velut ales ab alto Quae*

teneram prolem produxit in aëra nido. Quem plane imitatur Valerius Flaccus Arg. lib. VII. v. 376.: *foetus Mater ab excelso produxit in aëra nido.* Cfr. ibid. lib. V. v. 382.: *Ad sua Caucaseae producunt flumina Nymphae.* Propertius lib. IV., 1. v. 89.: *quum geminos produceret Arria natos.* Uterque collatus a Burmanno.

v. 190. *Virtute,* viribus.] Barth. Inf. 281.] Burm.

v. 191. *faciles sum. pr.* facili labore et citra magnam contentionem capere. In Nemes. fragm. de aucup. 21., *praeda est facilis et amoena scolopax.]* Wernsd.

v. 192. Frustra laboro equidem in annotatione Iohnsoni intelligenda: „Et ne semel quidem catulos effraeni cursu emicare permitte, sed etc. —. *Indulge moderamina* (sic enim lege loco *moderamine) cursus catulis*, idem est, quod indulge habenas vel frenos equis.“ *Moderamina* Heinsius etiam voluit. Tum, ne quid relictum videretur obscuritatis esse, Burmannus haec subscripsit: „nec semel indulge cursus, moderamine, id est moderamine aliquo, certo; nimirum leporem, non viribus et virtute praevalentem, praemittendo.“ Quin etiam Barthius *indulge* absolute dictum putabat, ut Lucret. lib. V., 1367. Quasi vero, ut ad Iohnsonum et Burmannum redeam, *cursus* non possit genitivus esse! Paullo peritius denique Wernsdorfius explicavit verba hunc in modum: „*Nec semel* hoc facito, ut moderato, quemadmodum dixi, cursu catulorum viribus et aetati pareas, sed saepius ita exerceto. *indulgere* est obsequi et accommodare se alterius aetati, captui, viribus. *moderamen cursus* est illa eius moderatio, qua non permittitur nisi parva in valle, vel septo novali, et in leporem imparem viribus.“ Iste vero etsi *indulgere catulis* interpretatur verissime, verbis tamen *nec semel* et *moderamine cursus* falsus est egregie. Qui cum ab initio annotationis, quam accurate descripsimus modo, subderet aliquid, quod non est a poeta scriptum, et falsam reddidit

sententiam, et tortuosam enunciationem. Namque *nec semel* verba non possunt nisi cum eo verbo coniungi, quod sit primarium totius sententiae. Atqui ex Wernsdorfi quidem opinione sententia est haec: *Nec semel exerce — sed diu catulos.* Ergo *exercere*, vel simile quippiam, non *indulgentia exercitationis* primarium in sententia est. Iam vero, ut vulgatae scripturae perspicuitas servetur, *indulge* imperativus iste per se et propter se novam ac primariam sententiam efficiat necesse est. Itaque sic habeto: *Nec semel* i. e. *saepenumero indulge catulis* i. e. *virium tenuitati te accommoda moderando subinde cursum ac remittendo;* vel sic: *patere, ut quiescant interdum et vires queant recolligere.*

v. 193. *Sed* vocula, si priora interpretati recte sumus, non potest ex verbis *nec semel* pendere, immo continuat sententiam: *Sed tamen — etsi relaxandus est labor — tamen exerceto diu.*

v. 194. *munera.* Vid. ad Grat. 260.] Burm.

v. 195. Taedet recoquere commentarios Burmanni de diversa significatione verbi *immeritae* praeter necessitatem aliquam disputantis. Verissime Iohnsonus et Wernsd. *omnibus experimentis spectatae.* Vide Gratium v. 282.

v. 196. 197. Correxit iterum Heinsius: *seu cursu revoces, iubeas seu t. c.* Burmannus recte putat, *revocent* et *iubeant* debere referri ad *hortamina;* falso Barthius *magistri* cogitatione addit. Sed ille male dubitat, an eleganter dicatur, peius etiam correxit: *Nec non consuetas norint, hortamina, voces, seu rursus revocent.* Addit Nemes. Ecl. II., 6. *rursus remeare.* Claud. in Rufin. 357. *revocataque secula rursus*, atque Silium Ital. VI., 258. Propert. II., 10., 33., ubi *rursus* et *cursus* permutatae voces in libris MSS. Sed, ut dicam, quod res est, interiectum illud *hortamina* languidum, miserum, turpissimum. Ego vero, cur non optime dicatur: *cursus revocare* et: *hortamina revocant* vel

iubent, non perspicio. *Hortamina* sunt autem vocabula et imperia venatoris, quibus et revocat et instigat canes, quales praescribit Xenophon libro de ven. hasce: *εὖγε κύνες, εὖγε, ὦ κύνες, ἕπεσθε κύνες, ἕπεσθε, ὦ κύνες — Τοὔμπαλιν, τοὔμπαλιν, ὦ κύνες. Hortari* in ea re venatorum esse proprium vocabulum, Wernsdorfius monet collato Ovidio Met. III., 242.

v. 198. *Quin etiam* sic instituendi sunt canes, ut quem leporem cursu victum apprehenderint, enecent tantum, non etiam discerpere captum et vorare gaudeant. Romae apud delicatos pretium accedebat lepori, si vivus et leviter laesus domino allatus a cane esset. Hinc intelligendus Martial. III., 47., 11. XIV., 200.] Wernsd.

v. 200. *Sic*, ea ratione, quam hactenus docui in foetura et educatione canum observandam, *memento semper* i. quotannis, bonorum catulorum genus *reparare tibi*, eosque porro bene curare. nam, inquit, *tristes morbi* multos quotannis canes auferunt. Hinc transit ad remedia morborum.] Wernsd. Verissime. Strictim moneo de prioribus. *Hinc* correxit pro *sic* Burmannus, ut esset: *ex illis generosis*, *quos educasti.* Perperam olim distinctum fuisse: *Nam tristes morbi scabies*, etc. vidit Ulitius. Exempla denique, ubi attractionis lege verbum singulari est positum, duobus progressis substantivis, quorum prius plurali numero erat positum, Burmannus addidit: Virgil. Georg. III., 564.: — *papulae atque — sudor sequebatur.* Livius XXXVII., 9.: *Naves et praesidium excessit.* Cic. Tusc. III., 5.: *corpora et natura valet.* Grat. 369. contra: *lues et morbus venerunt*, ubi Ulitius *morbi* maluit.

v. 203. *Discrimine nullo* explicat Grat. v. 370.: *iuxtaque exercitus ingens aequali sub labe ruit.*] Wernsd.

v. 204. *Dare stragem* dicitur de eo, qui alios occidit, et qui ipse involvitur stragi. Florus I., 18.: *consternati equi fugam stragemque late dederunt.* Virgil. Aen.

II., 310. *domus dat ruinam.* Ovidius Met. VII., 586. habet *stragem canum.* Haec fere Burmannus.

v. 205. *Sortire*, sortitione comple. Virgilius Georg. III., 70.: *Semper enim refice, ac, ne post amissa requiras, Anteveni et sobolem armento sortire quotannis.*

v. 206. Morborum in cane remedia quaedam, usque ad versum 280.

Unguentum ex oleo et aceto mixtum praescribit scabiei et prurigini arcendae, quale et Serenus Sammon. c. 7., et Calpurn. V., 81. *Tritonis oliva* a Pallade Tritonide.] Wernsd.

v. 207. *Admiscere* cum solo ablativo iunctum optimis auctoribus usitatum. Ovidio Fast. VI. v. 170. Vaticani codicis auctoritate reposuit olim Burmannus: *Mixtaque cur calido sit faba farre rogas?*, ubi nunc edi solet *cum calido* —.

v. 208. *Ostendere soli. Ostendere* est *exponere soli.* Varro de re R. I., 25. apud Diomed. lib. I. p. 372.: *Locus optimus vino sit et ostentus soli;* c. 24. *ager soli ostentus.*] Burm. Vid. Grat. v. 422.

v. 209. *Tineas candenti pellere cultro.* Fluctuant in descriptione tinearum Gesnerus, Ulitius, Iohnsonus. De quo cfr. Barth. ad Claud. in Eutr. I., 114. et not. ad Seren. Sammon. c. 30. Erat istud vermiculorum genus ex putrescente materia natum, sive idem, quod *ricinus* vocatur, auribus canum adhaerens, a quibus aures exulcerari scribit Varro R. R. II., 9., 14., sive ex genere vermiculorum volatilium vel muscarum, quas apibus infestas memorat Virg. Georg. IV. v. 246. Praestat prior explicatio, nam interno corpori inhaerescere ista animalia, vel Plinius docet N. H. XX., 8.: *tineas*, inquit, *et relicua ventris animalia.* Tineolas aliis pediculos vocari, dicit Veget. de Mulomed. II. c. 44. *Candenti cultro* vere intellexit Iohn-

sonus: *ab igne calido.* Ergo cultrum iubet adhiberi, et extergantur tineae, et partes aurium laesae urantur.

v. 210. Rabies canina. Eius fontem dicit vel defectionem (v. 211.—213.), vel nimium aestatis calor (v. 214. 215.) vel terrae aërisque evaporationes pesti (v. 216.). Ac solis quidem obscuratione pestilentiam trahi, inter veteres erant qui crederent, ut e Plinio N. H. XXXVI., 27. Gratium in huius descriptione nostrum imitatum quidem, sed parum assequutum scite animadvertit Wernsdorfius.

v. 211. *Corruptum sidus* solem dicit *pestiferum* obscuratione. Ergo mittes facile Burmanni inventum *corruptio manat.* Offendebat enim in duobus epith inconsiderate. *Sidus* de coelo vel sole usurpatum fa liare poetis. Ergo *hiberno sidere* apud Virg. Aen. IV., melius, puto, explicavisset Wunderlichius per *hibern* Cfr. Ovid. Ex Pont. II., 4., 25.: *longa dies citior* *sidere*; Met. I., 424.: *Aetherium sidus* vere inte tur vir doctus: *solem in aethere suspensum.* Burm adire iubet not. ad Petron. c. 19. et conferre *pestilen* Iust. 19., 2. Aërem intelligebat Barthius, qui Phoebi radiis fiat putidus.

v. 212. *segnibus* i. languidis et minus ignitis radiis, qui esse solent deliquium patientis, coelum corruptum.] Wernsd. *Segnes* hic proprie, nam *sine igne*, docente Servio ad Virg. XII. Aen. 525. *segnis stella* Claud. Phoenice 36. et Val. Flacc. I., 482. ad Nemes. Ecl. I., 49.] Burm.

v. 213. Dubium, an *orbis* pro terra vel ipsius sol orbe capiendum, posset tamen et legi *ore*, nam voces illae de sole et luna solent commutari. Vid. ad Val. Flacc. II., 57. et Ovid. IV. Fast. 944.] Burm. Addit *attonit orbe*, quod defectionem solis prodigium terrificum et va riarum pestium caussam habebant veteres.] Wernsd.

caput exerit ore quid sibi velit, ipse viderit apud inferos Burmannus. Altera explicatio, qua pro orbe terrarum acceperc *orbe* vocem, multum ab venustate poetae aliena. Tu ipsius solis orbem intellige, qui est *attonitus*, quoniam pestifera contagione est tactus. Phoebi autem caput ex orbe se exerit, quod umbris paullatim obducitur et ab exteriore tantum est parte conspicuus. Idem habes apud Virgil. Georg. I. v. 442.: *(Sol) ubi nascentem maculis variaverit ortum, Conditus in nubem, medioque refugerit orbe* —.

v. 214. 215. Quantum ex vetustarum annotationum confusione elici potest, ordinem verborum putarunt hunc esse: *seu magis (quum — quatit) aestus inviscerat can. bl.* (sc. letale malum). Porro *hoc* ad *corruptum sidus* Ulitius refert. At hoc saltem ad solis obscurationem, non ad Leonis aestum pertinet. Alterum autem illud, quod Heinsio probatum est, propter pronomen *hoc*, si cum *letali malo* coniungitur, languidum, putidum, prosaicum. Cfr. nos ad Grat. v. 223. Mihi quidem ex parte valde Scaligeri emendatio probatur: *hos can. bl. immiserit aestus.* Ita fit, ut subiectum grammaticum *Phoebus* sit, quod est etiam in *quatit*. HOC antiquitus scriptum erat pro HOS. Sed *inviscerat*, libris vulgatum, ne tange. Itaque scribe: *hos canibus inviscerat aestus. Seu magis* est *seu potius*, ut Gratio v. 90. 421. Sententia haec est: ubi sol ardentissimum est, signum Leonis ingressus. Id quod medio mense Iulio, veteribus iam auctoribus Manilio, Plinio, Firmico, Timaeo, aliis, quos commemorat Salmas. ad Solin. p. 304. sqq. *Candentia terga* propter ardorem vocat, ut supra v. 164. *candentem axem*.

v. 215. *Quum quatit.* Idem, quod Senecae *premit* Med. v. 40. Cfr. Ovid. Art. I., 68.: *Cum sol Herculei terga leonis adit.]* Iohns. et Wernsd. *Quatit* puto ob iubas leoninas dictum. *Inviscerat*, immittit visceribus,

vere animadvertit Wernsdorfius, solitarium vocabulum, formatum ut *illatebrare* apud Gell. XVII., 2., *insinuare* Apuleii, *incorporare* Solini.

v. 216. Inter corruptum illud in vetustis editionibus *sinus* et *seu* in Aldina erat asteriscus. Sententia est eadem Gratio vv. 375. 376.

v. 217. *Quum gelidus non suff. hum.* i. cum satis aquae gelidae non praesto est ad restinguendam sitim, quae ipsa rabiei principium est. V. Grat. 388.] W e r n s d.

v. 218. Vulgatam tentabat Heinsius, quod repetitur verbum v. 226. Quasi vero v. 221. *cogens* sit immutandum, repetitum videlicet versu 224. *Concrescunt* Wernsd. expl. per densantur atque exasperantur.

v. 219. 221. Nimis audacter coniecturam Burmannus profert hanc: *conans inf. morsus.* Ille nimirum putabat, *prosilit* esse cum cane coniungendum. Nec cum Wernsdorfio putandum est *vermiculum* latere in *prosilit* verbo. Malo ego omnia ista *agitat*, *prosilit*, *cogens* referre ad *id* pronomen. Quod manifesto declarat, caussam mali se nullam certam scire, sed esse *aliquid*, idque cum formidine et horrore eloquitur. Itaque, ut hoc quasi corolarii loco addam, neutrum istud τοῦτο Sophoclis Antigona v. 334. Herm. contra Brunckium atque adeo Hermannum confidenter coniungo cum χωρεῖ. Neutro enim genere *vastum istud* et *reformidabile* declaratur, cuius nomen non audemus pronuntiare. Sed haec obiter. Ergo haec Nemesianus:

Was es auch sey, es wühlt tief unter dem Herzen das Mark auf,
Und in den grimmigen Rachen, bedeckt mit schwärzlichem Giftschaum,
Stürzt es hervor, und es zwingt zu des Zahn's wuthflammenden Angriff.

v. 220.

v. 220. *Nigro veneno.* Venenum *nigrum* appellatur a poetis quasi letale, funestum. Virg. Aen. IV., 514. *nigri cum lacte veneni.* Ita Titius. Wernsdorfius dictum existimat ob atrae bilis copiam.

v. 223. *Tunc virosa Tibi* etc. *Castorea* fibrae vocantur e testibus castoris, de quibus Plinius N. H. XXXII. c. 3. *Virosa* dicit propter odorem graveolentem, foetidum, amarum, ut *virosam eluviem* Gratius v. 355. et *odorato m. h. viro* ibid. v. 415. Nam ad bonitatem eius medicaminis *βαρύοσμον*, *βρωμῶδες*, *δριμύ* requirit Dioscorides, notante Ulitio, qui etiam Virgilium comparavit Georg. I., 58.: *virosaque Pontus Castorea. domabis* i. e. coquendo conteres, comminues.

v. 224. *Lentescere cogens.* Terens et subigens eo usque, dum lenta et tenuis massa fiat. sic *lentos orbes* pistilli in tritis mollitisque herbis circumacti vocat auctor Moreti v. 111.] Wernsd.

v. 226. *Admiscensque diu* sc. terendo et circumagendo.] Wernsd.

v. 228. *Non cunctantes.* Lactis nimirum admistione liquidos, et in canum gula non haesuros.] Iohns. *Infundere cornu* v. Virgil. Georg. III., 509.: *Profuit inserto latices infundere cornu.*; et Colum. VI., 10., 1.: *bovi facta sorbitio per cornu infunditur.*] Wernsd.

v. 231.—240. Finitis his, quae de canibus velocibus voluerat, antequam ad equos transeat, pauca de canibus sagacibus interponit. Tuscorum vel Tyrrhenorum canum non alius meminit.] Wernsd. Cur hos a reliquis separaverit, ipse rationem eloquitur v. 233.] Ulit. Ego puto, haec incidisse Nemesiano, cum iam de canibus finierat.] Burm. *non est extrema voluptas* i. e. non minima. Halucinatur Burmannus, qui etiam sic exponit: *non summa v.* Argumenta in aprico posita.

v. 235. *Odorato prato*, quod odorem ferarum vestigiis inhaerentem servat. Gratius v. 223. vocat *signa vapore ferino intemerata.*] Wernsd.

v. 238. *Supellex venandi*, *arma* Gratius vocat, retia, plagae, pedicae, venabula, cultri, galeri, cothurni venatorum. *cultus equorum* est omnis cura circa equos eligendos, alendos, instituendos. In legendis equis patria praecipue spectatur. itaque de hac incipit.] Wernsd. *Dat Graecia.* cuius maxime celebrantur equi Thessalici, Epirotici, Argolici, Achaei et Attici. Cappadoces cum primos laudat Nemes. Graeciae nomine Asiaticam quoque complectitur, simul aetatem suam prodit, qua Cappadoces equi praecipuo in honore erant. Quapropter etiam Oppianus I., 197. eos mire extollit, et aequales nostro alii scriptores, Iul. Capitol., Claudianus, Vegetius obiter laudant: antiquiores Xenophon et Gratius minime.] Wernsd.

v. 240.—250. Cappadocum equorum virtutes praedicantur. E Graecia igitur, inquit, praestantissima progenies nobis afferatur. Ac versuum quidem 241.—244. explicatio multum exercuit Barthium, Gronovium, Burmannum, Wernsdorfium. Huius autem copiosisissimus et praestantissimus labor. En, igitur, Excursum Wernsdorfi X. accuratissime descriptum: „Hic vexatissimus totius poematii, et fere desperatus, locus ita doctos viros exercuit, ut, quot ad eum accesserint interpretes, tot novos eius emendandi explicandique modos repertos esse videamus. In loco manifeste corrupto, qualis hic est, et in scriptore, qualis est Nemesianus, ubi nullum emendandi a scriptis et vetustis codicibus auxilium est, infinita non modo sed inanis quoque et nullius usus coniectandi industria videtur, et intactus potius is locus relinquendus est, nisi ratio reperiri possit eiusmodi, quae minima cum litterarum mutatione emendet, planissimeque intelligatur Ipse nunc, quid effecerim, exponam. Facillima quidem

omnium, quas vidi, emendationum, et ad scripturam proxime accedens est Gronovii Observ. lib. III., cap. 13.:

Cappadocumque notas referat generosa propago
Armenti, et palmas numeret grex omnis avorum.

In hac tamen *armenti* nondum satisfacit, quod eodem versu *grex*, eiusdem notionis vox, sequitur, quae illud reddat superfluum; tum vero cum litteris vocis *armata* non satis convenit. Vult Nemesianus equos e nobilissima stirpe legi, Cappadocum maxime, quos tanquam praecipuos ex omni Graecia nominat. His ita similem esse vult *generosam propaginem*, h. e. pullos equorum ad venatum educandos, ut et notas Cappadocum referant, h. e. formae praestantiam, et virtutes ductas a genere Cappadocum. *Notas* equorum etiam Gratius dicebat v. 497.: phrasin expressit e Virgilio Georg. III., 128.: *Invalidique patrum referant ieiunia gnati.* Ad nobilitatem et fortitudinem equorum designandam nihil frequentius est, quam eorum genus, stemmata, patres, avos memorare, fuitque usitatum antiquitus, ut Basilius M. auctor est, *homil. εἰς τοὺς πλουτοῦντας*, genus equorum a patribus generosis deducere, ut hominum. *Ἵπποι*, inquit, *παμπληθεῖς, καὶ οὗτοι γενεαλογούμενοι ἀπὸ εὐγενείας πατέρων, ὥςπερ οἱ ἄνθρωποι.* Gratius v. 228.: *Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum excitat.* Iuvenalis Sat. VIII., 58.:

Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, et exsultat rauco victoria circo.

Hic addatur Papin. Statius Silv. V., 2., 21.:

— — — — Romulei qualis per iugera Circi,
Cum pulcher visu, titulis generosus avitis
Exspectatur equus, cuius de stemmate longo
Felix emeritos habet admissura nepotes.

Cappadocum equorum celebratissimam nobilitatem plurium scriptorum testimonio probavit Iac. Gothofredus ad *Cod. Theodos. lib. X., tit. 6., de grege Dominico.* Formo-

sissimi iuxta ac velocissimi habebantur, et singulares in Cappadocia alebantur greges, usibus imperatorum destinati, unde lecti perpetuo mittebantur Romam ad ludos Circenses. Testatur hoc lex allegata *de greg. dom.* et alia lib. XV., tit. 10., *de equis curulibus.* Auctor veteris *Orbis descript.* a Gothofredo editus cap. 21. de Cappadocia: *Mittit vestem leporinam*, *Babylonicas pelles*, *et illorum divinorum animalium formositatem.* Intelligit equos Imperatorum, quorum omnia divina vel sacra dici consueverunt. Auctor Itinerarii Hierosol. p. 577. edit. Wesseling: *Cappadociae*, inquit, *mansio Andavilis*, *ibi est villa Palmati* (sic legit Gothofred.), *unde veniunt equi curules.* Et Vegetius *Veterin.* IV. *cap.* 6.: *Curribus Cappadocum gloriosa nobilitas.* Ex his facile intelligitur, a Nemesiano pariter nobilitatem equorum Cappadocum a victoriis et palmis in certamine curuli acceptis describi, ita quidem, ut qui ab iis orti sint equi multas numerare avorum suorum palmas possint. Itaque non dubito, quin vitiosa vox *armata*, quae in priscis exemplaribus asterisco notatur, pro graeco *ἅρματα currus* habenda sit, et versus ipse sic legendus:

Harmataque et palmas numeret grex omnis avorum.

Nam *currus* a Latinis subinde pro missibus Circensium et victoria curuli positos, aeque mihi probabile videtur, atque illud certum est, a Cicerone, Plinio, Floro, aliis *currum* pro triumpho dictum. Vid. Salmas. Exercitt. ad Solin. p. 271. Vegetius loco ante adducto sic usurpare videtur, atque ubi Cappadocum nobilitatem curribus gloriosam dicit, haud aliam eorum gloriam, quam ludis Circensibus acquisitam significat. Si denique graeca vocabula *harmamaxa* et *hamaxari* (v. Plauti Trucul. II., 2.) a Latinis recepta sunt, haud absurdum videbitur, a Nemesiano etiam graecam vocem *ἅρματα* admissam. Quod si tamen fortasse hoc cuipiam durum et insolens videatur, eo quod non alia auctoritas vocis illius sermone latino

usurpatae occurrat, age, missa hac coniectura aliam vocem illi similem, et argumento nobilitatis aeque aptam substituamus hoc modo:

Stemmataque et palmas numeret gr. omn. avorum.

Sint, inquit, omnes equi tui e nobilissima fortissimaque stirpe, praesertim Cappadocum, orti, in qua iam multi fuerint palmam fortitudinis adepti. Quae lectio, quum et vestigiis scripturae vitiosae, ipsiusque poetae menti accommodata, et e similibus aliorum formulis, quibus equorum generositas solet exprimi, petita sit, non video, quae commodior faciliorque emendatio reperiri, et quid aliud a poeta dici hoc quidem loco potuerit. Non igitur possum Iac. Gothofredi correctionem, in *commentar. ad legg. cit.* et *ad vet. orbis descript.* prolatam, aliter quam coactam et contortam existimare, qua putat, a Nemesiano hoc versu gregem illum equorum designari, qui quondam Palmatii, viri in Cappadocia nobilis et equorum divitis, aetate Valeriani Imperatoris, fuisset, sed proscripto eo confiscatus et sacro stabulo vel usibus Imperatorum dicatus sit, atque hinc *gregis Palmatii*, *equorum Palmatiorum* vel *sacrorum* nomine appellatus. Tale quidem nomen equis Caesareis in Cappadocia fuisse, ex legibus Codicis Theod. allegatis patet, et Gothofredus propterea in loco Itinerarii Hierosol. ubi *villa Pampali* legebatur, *Palmatii* substituendum arbitratur, unde Nemesiani versum sic refingit:

— — — — generosa propago
Argaea, et palmae nuper grex nomine sacrum.

Nimirum existimat, hic *gregem sacrum* h. e. sacrorum, vel imperatoriorum equorum, *palmae nomine* i. e. Palmatii designatum indicari, et lectionis mutatae firmamentum e Claudiano petit laud. Seren. 190.:

— — — dilectus equorum,
Quos Phrygiae matres, Argaeaque gramina pastae
Semine Cappadocum sacris praesepibus edunt,

Sed Gothofredi eam correctionem facile est refellere. Primo enim *Argaea* propago equorum, quam scribit, ab Argaeo Cappadociae monte dicta, est ipsa Cappadocum. Quae igitur praeceptio poetae, propago Cappadocum referat notas Cappadocum? Palmatios equos esse, secundum Gothofredum, Aurelius indicat *palmae nomine* insignitos, quod ipsum tamen reiicit Gothofredus, et Palmatios non a palma, sed a Palmatio, viro nobili, nomen accepisse contendit. (Vid. *Comment. ad leg. de grege Domin.*) Palmatii equi non erant totius Cappadociae, sed grex singularis usibus sacris Caesarum destinatus, quos usurpare, ut ipse Gothofredus ad dictam legem ostendit, nemini privato fas erat. Qui igitur suadere Nemesianus poterat, ut equi venatici ex eo grege sumantur. Et quam obscura haec et contorta: *propago Argaea*, quae pascitur ad Argaeum, *grex sacrûm*, imperatoriorum equorum, *palmae nomine nuper* sc. insignitus. Denique tota illa Palmatiorum equorum ab homine nobili Palmatio ducta appellatio mihi adhuc dubia videtur, quippe non alio, nisi valde recenti testimonio Hesychii in V Chron. nixa, quod Glossarium Nomicum a Labbeo editum conservavit. Itinerarium Hierosol. etiamsi villam Palmatii, quod Gothofredus vult, memoret, tamen et illud satis recens est, et, qui Cappadoces equos sacro Caesarum stabulo lectos memorant, scriptores alii et leges ex aevo omnes Christianorum Imperatorum sunt, et recentiorem adeo illum morem esse innuunt, quam qui significari a Nemesiano potuerit. Sed plura de Palmatiorum nomine afferre longum, nec nostri instituti, foret. Certe mihi, ut hoc tantum adiiciam, non improbanda eorum sententia videtur, qui equos ludis curulibus destinatos existimant *palmatos* esse dictos, quod iis palmae signum, boni ominis caussa, inustum esset. Et Aug. Buchnerus *Epistol. P. II.*, 98., post sententias aliorum expensas hanc praecipue probandam putavit. Non aliis equorum generibus aeque frequenter ac propria tribuuntur

palmae, quam Epiri et Achaiae, quibus in terris certamina curulia celebratissima fuisse constat. Signanter omnino Virgilius Georg. I., 59., *Eliadum palmas Epirus equarum*, scribit, ubi palmae equarum vix aliter, quam pro equis palmatis positae videntur. Et Gratius v. 531. diserte palma signatos dicit, si proprie accipere eius verba velimus:

— — — *quis Chaonias contendere contra*
Ausit, vix merita quas signat Achaia palma.

Vix igitur dubitandum, greges Dominicos in Cappadocia, quos servisse ludis Circensibus certum est, eandem ob caussam et palma signatos esse, et *palmatorum* nomen accepisse. Quin etiam in numis quibusdam, quos affert Onuphr. Panvinius *de lud. Circens.* equorum circensium capitibus palmam, tamquam cristam, impositam cernimus." — Hactenus quidem Wernsdorfius, vir omnium longe accuratissimus. Qui etsi plane profligavit Gothofredi correctionem, suam tamen frustra defendit. Nam illud quidem *harmata*, ab Wernsdorfio fictum, Latinis incognitum vocabulum. Sed ut ego quoque emendationem quandam meam proferam, aio equidem, totam istam sententiam verborum

Harmataque et palmas numeret gr. omn. avorum

a poeta esse alienissimum. Quam planum est hanc esse: *Curruum et palmarum grex omnis habeat gloriam a proavis quasi hereditate acceptam. Numerare* enim poetis est *habere*, ut: *multos numerabis amicos* Ovidio Trist. I., 9., 6. Ergone idenaticos equos suos circensium cupit ludorum palmis insigniri? Non, hercule. Itaque currus et palmae avorum sunt, non propaginis. MStorum librorum praesidio destituto, quid corruptum sit, difficile est monstrare. Integra esse suspicor prioris hemistichii verba, in altero hemistichio *nuper* vox manifesto vitiosa est. In antiquo Barthii libro erat scriptum: *supert.* Ne multa, haec potuit scribere Olympius:

Armata ut palmis superat grex omnis avorum.

Id est: *Cappadocum notas et insignia monstret generosa propago, sicut olim avorum grex palmis fuit insignita et inter relicuos eminet.* Palmis dicitur *armata*, quia, ut e numis constat ab Onuphrio Panvinio allatis, palmae istae ad phalerarum pertinuerunt ornamenta. *Arma* pro phaleris ornamentisque equestribus dici, Livius auctor est XXXV., 23.

v. 243. Refert nunc notas Cappadocum, sive formam praestantissimam equorum, qualem praeter Graecos Xenoph. de re eq. c. 3. et Oppian. Cyneg. I., 173. delinearunt Virgil. G. III., 79., ad quem provocat Plin. VIII., 42., Varro R. R. II., 7. Colum. VI., 29. denique Calpurn. VI., 52.] Wernsd. Planitiem et spatium dorsi satis amplum, nunc *aequor* vocatur.] Titius.

v. 244. *Immodicum*, mutuatum a Virg.: *tum longo nullus lateri modus. ingentibus*, quamvis ingentes sint. *dec. altus honos*, caput elatum et quasi ex alto despiciens. *plurima* i. maxima sui parte, l. valde, prorsus. V. Grat. v. 30.] Wernsd.

v. 246. *vago. Vagus splendor* est irrequieti animi indicium. vid. ad Val. Flacc. VI., 584., ubi *vaga lumina.*] Burm.

v. 247. *cervix resupinat.* Incurvat se.] Lohns.

v. 249. *Nec pes* cet., his respexit Virg. G. III., 84. *stare loco nescit*, et v. 87. *cavatque tellurem.* Horum causa generosa indoles, impatiens quietis. Hinc addit, *mixtis artus qu. fatigat* i. assidue incitat et agit, ut quiescere non possint.] Wernsd. *Παραφράζει* illud Maronis: *et tremit artus.*] Ulit.

v. 251. Gens ampla sunt universi Hispani, qui Olympio in Africa scribenti erant trans Calpen, quae est una columnarum Herculis.] Wernsd. De iis Avienus Periegesi 165.

— scopuli stant ardui utrimque,
Unus in Europam, Libyam procul aspicit alter.
Sic deserta freto procera cacumina celsis
Emicuere iugis, sic coelum vertice fulcit
Maura Abila, et dorso consurgit Iberica Calpe.

Idem Ora Maritima hinc obiter restituendus v. 86.:

Hic sunt columnae pervicacis Herculis,
Abyla atque Calpe: laeva dicti cespitis,
Libyae propinqua est Abila.

Quod ipse paulo post v. 342. confirmat, et interpretatur:

Sunt parva porro saxa prominentia
Abila atque Calpe: Calpe in Hispano solo,
Maurusiorum est Abila.] Ulit. Tu restitue: *sunt ardua p. s. prominentia.*

v. 253. Velocitatem aeque ac formam in equis Hispanis laudat, eoque suppares et similes facit Graiis et Cappadocibus.] Wernsd.

v. 255. Exemplaria A. St. Gr. P. habent *spirabile numen anhelae.* Inde fecit Ulitius *lumen anheli.* ae et i etiam in Gratii exemplaribus commutata v. 290. *lumen* ab Virgilio petiit Ulitius Aen. III. v. 600. *coeli spirabile lumen.* Vere Iohnsonus emendavit: *spirabile flumen anheli.* Sic etiam Barthius ad Stat. Theb. VI., 439., Scaliger et Heinsius. Quin etiam, inquit, anheli et ardentes provolvunt terribiles flatus, quasi flumen spirabile. Imitatur Virg. G. III., 85.: *Collectumque premens volvit sub naribus ignem.* Versu 248. dixerat: *fumentes vapores.* Scite Burmannus commemoravit Val. Flacc. VII., 572., ubi dicitur de tauro Colchico: *Atro volvens incendia fluctu.* Pariter recte animadvertit Ulitius, *anhelus* hic de nimio ardore et conatu usurpatum, non de fatigatione esse. Sic Virg. G. I., 250. Aen. V., 739. *equis Oriens afflavit anhelis.*

v. 256. *Lumina vivida torquent.* Cfr. supr. v. 246. Georg. III., 433. *flammantia lumina torquens.]* Ulit.

v. 257. *tremuli.* Vid. Broukh. ad Propert. IV., 1., 43. — *frenisque repugnant.* Ovid. Met. II., 87. Ovid. Rem. Am. 514. Trist. IV., 6., 24.] Burm.

v. 258. *Mulcent.* *Tollunt* vel *motant* inscite desiderat Burmannus. Neque convenit, quem Wernsdorfius contulit, Virg. Aen. I., 66. et Calpurn. VIII., 58. *Mulcent aures* idem est atque *vehementer agitant.* Alias dicitur *micare auribus*, ut Virgil. Georg. III., 84. Ovidio Fastis V., 161. antiquitus scriptum erat: *Frigidus Argestes summas miscebit aristas*, quamquam a Burmanno aliisque e cod. Sarrav. et quattuor aliis *miscebit* est receptum. Lucretius inquit lib. IV. v. 139.: *nubes aera mulcentes motu.* Cfr. supr. v. 245.

v. 259. 260. *Maurusia tellus*, Mauritania. *firmus*, i. solidus et totus, non diversis parentibus, nec admixto sanguine alieno ortus.] Wernsd. Dicuntur *Mazaces* plerisque, *Mazices* Ammiano, et *Mazici* in vet. Chron.; Graecis sunt Μάζικες et Μάζυες. Apud Oppianum ediderunt Μάζηκες in catalogo equorum. Lucanus IV., 681. *tremulum cum torsit missile Mazax.* Claud. Stil. I., 356. *pavidus proiecit missile Mazax.*] Ulit. Salmasius Exercitt. ad Solin. p. 228. *Mazux* scribendum esse contendit. *coloratus* vere Iohnsonus *solis aestu infuscatus.* Vid. Gronov. Diatr. Stat. cap. 10.

v. 261. *Est ollis*, de utroque loquitur, Mauro et Mazace: liber uterque habenis et vinclis et nulla disciplina domitus. Virg. A. XI., 493.] Wernsd. *Quodque infrenes.* Idem contemptui quoque duxit in iisdem Claudianus de bello Gild. 439. *sonipes ignarus habenae.* Hinc *Numidae infreni* Maroni Aen. IV., 41. (Liv. XXI., 44.). Lucano lib. VI., 683. *Massylia frenorum nescia.* Strabo lib. XVII. p. 1184. de Mauris: Μάχονται δ' ἱππόται τὸ πλέον ἀπὸ ἄκοντος, σχοινοχαλίνοις χρώμενοι τοῖς ἵπποις καὶ γυμνοῖς — μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ καὶ εὐ-

πειθέσιν, *ὥστ' ἀπὸ ῥάβδου οἰακίζεσθαι*. In vetustis codicibus scriptum est: *σχοινομάλοις χρώμενοι*. Unde conîicere liceat: *ἄνευ χαλίνων* vel *ἀχαλινώτοις χρώμενοι τοῖς ἵπποις*. Ammianus lib. XIX., 8.: *Fugaci equo nudo et infreni caballorum quidam sedens, ne labi possit, ex more habenam, qua ductabatur, sinistra manu artius alligavit.*] Ulit.

v. 265. *Quodque iubis.* Iubas etiam indiscretas et incomptas relinquebant equis suis Numidae, *οὐ κόμας κτενίζοντες, οὐ χαίτας ὑποπλέκοντες*, ut Aelianus ait. Iubae autem pronos armos non facile attingunt, nisi cum demissa et prona ipsa quoque cervix est. Livii verba sunt: *deformis et ipse cursus rigida cervice et extento capite currentium.*] Ulit. Verissime, ut solet Ulitius. Inusitato more dixit: *diverberet*, i. e. utrimque verberet. Wernsdorfius comparat *dilogia*, *diverbium*, *dispicio* et similia. Male correxit Gronovius cum Iohnsono: *Quodque iubas pronis cervix diverberet armis*, i. e. *agitando discutiet iubas*. Id vero qui possit vitio dari equis, parum liquet. Ergo hoc vult sibi: *nec pigeat, quod adeo pronum sit collum, ut vel iubis utrimque tangantur armi.*

v. 266. *lascivaque colla secutus* h. e. flectens et vertens se ad tactum virgae in lascivo collo, quod facillime quovis tactu afficitur, quasi per ludum. V. Sil. Ital. I., 216.] Wernsd. *Sequi colla* quid esset, cum plane ignoraret Burmannus, mavult *colla solutus*. Verum offecit Wernsdorfius. Nam flectitur equus in collo facili tactu virgae. Hinc est, quod totus equus colli declinationem sequi videtur. *Lasciva*, i. e. frenorum nescia, libere agitata.

v. 267. *Lentae moderam. virgae.* Martialis IX., 23.: *Massylaeum virga gubernat equum;* Claudianus Bel. Gild. 440. *Virga regit.* Strabo l. 1. *ἀπὸ ῥάβδου οἰακίζεσθαι.*] Ulit. Vid. ad Grat. v. 517.

v. 268. *Fugae* i. e. *cursus. carpere prata fuga* Virg. G. III., 142. Ergo virga loco calcarium incitat, et loco frenorum reprimit cursum.] Iohns. et Burm.

v. 269. *Permissi*, i. e. *συνθέντες*, Heinsius et Burmannus emendarunt, ut Grat. v. 227. Comparat Burm. auctorem Ecl. Nemes. I., 7. et v. 121. Val. Flacc. I., 574. *Promissi campi* coniunxit Wernsdorfius, immemor adiectivorum abundantiae. Servandum nos putamus vulgatam. *Aequora campi* familiari poetis, ut Val. Flacc. VI., 30., alibi. cfr. v. 271.

v. 271. *Avidos* sc. victoriae. In vet. ed. *pavidos.*

v. 272. Equum Numidicum illatum campo et cursu omnes vincentem comparat cum Borea, qui super alios ventos exortus in mare horrendo flatu exterret aequora, *ut* reliqui cedant venti, ipse solus regnet pelago, et omnes eum Nereides mirentur. Facta comparatio ad exemplar Virgilii, qui G. III., 196. ipse velocitatem equi Aquiloni comparat.] Wernsd. Copiam et nobilitatem versuum 272.—278. iure admirati sunt priores, praeter Iohnsonum, quem male habuit *maris* commemoratio septem versibus iterata. Sed male pedem sensit offensum Iohnsonus. Seneca Hippol. 1007., alia occasione a Burmanno laudatus, mare, solum, pelagus, freta, pontum cumulat sex versibus. Boreas igitur, tamquam vastae homo magnitudinis, pontum transgreditur longe caput super undas eminens, relicuis ventis cessantibus, tamquam certamine superatis, Nereidumque turba undique stupente. Vultus ventorum terribiles apud veteres. Vid. Spencium Polym. Dial. XIII. ab doctis viris commemoratus ad Ovid. Met. lib. I. v. 264., ubi Notus: *Madidis evolat alis, Terribilem picea tectus caligine vultum, Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis:* etc. Copiosius in Aquilonis descriptione Virgilius.

v. 273. *antro. Aeoliis Aquilonem claudit in antris* Ovid. M. I., 262. Cfr. Homer. Od. *μ*, 19. sqq. Virg. Aen. I., 52.

v. 275. *flamina.* In vetustis exemplaribus vitiose legitur *flumina.* Verissime correxit Ulitius.

v. 276. *Ipse.* Boreas, non Nereus, ut visum est Barthio. *murmure*, Heinsius perperam *marmore*. De quo duabus paginis commentatus est Burmannus nihil nec probans nec reprobans. Atque illud ab Heinsio correctum duabus de caussis prorsus reiiciendum. Primum cum *marmore* undae comparantur maritimae tum, ubi de candido cogitatur colore. Lucretius lib. II., 766.:

At mare, cum magni moverunt aequora venti,
Vertitur in canos, candenti marmore, fluctus.

Lucanus IX., 349.: — *Pontus*
Audit ventosa perflantem marmora concha

Cfr. Virg. Aen. I., 254. VI., 729. Val. Flacc. I., 313. Ennius apud Gell. II., 26.:

marmore flavo
Caeruleum spumat mare.

Hic de turbato, nec de flavo agitur ponto. Alterum est, quod unumquemque credo statim sensisse, positum in sententia, ab incitati sermonis igne ad languorem depressa. *Murmur* convenit ventis, ut Virg. Ecl. IX., 58. X., 98. Ovid. Trist. I., 2., 25. Lucan. V., 190. coll. IX., 927. laudatis a Burmanno. *Spumanti murmure*, quod inter murmura spumas suscitat.

v. 277. *euntem.* Ad maiestatem pertinere hanc vocem notavit Barthius ad Statii Theb. 677.

v. 279. *Horum tarda venit.* Serius virium perfectionem et nanciscuntur et amittunt. Idem fere quod Tacitus inquit de Germ. c. 20.: *sera iuvenum Venus, eoque inexhausta pubertas.*] Ulit.

v. 281. Sententiae huius, qua poeta praeclare rem ornat, praecipua vis est in verbis *suis annis* i. e. maturis, iusto tempore, quod virtuti ad *ἀκμὴν* perducendae debetur, nam quae praecox et praematura est, eadem non diuturna.] Wernsd.

v. 283. *Farraginem* veteres equo dare iubent verno tempore ad purgandum, priusquam vena pulsetur. V. Varro R. R. II., 7. et Veget. veterin. I., 22. Est autem farrago, Isidoro auctore lib. 17. c. 3., herba hordacea adhuc viridis et semimatura. *Veteres labores* sunt mala, quibus laborat equus ex veteri corruptoque sanguine. *niger cruor*, vitiosus.] Wernsd.

v. 285. *aspecta.* Quid Heinsii efficiat coniectura *affecta*, nemo intelligit. *aspecta* est: *cum admiratione videbis. Nigri cum labe cr.* recte explicat Barthius: Cum corrupto nigro cruore.

v. 287. *distento rob.* i. diffuso in venas et artus bono suco, ex quo robur. *formant* i. plenos et pingues reddunt, ut *formare* se luna, cum plena fit, dicebatur supra v. 130.] Wernsd.

v. 288. *ire viarum longa volunt.* De locutione vid. Vechn. Hellen. lib. I., 2. c. 9. p. 205. sqq. Heus.

v. 289. *fuga*, i. cursu. *consumere c.* totum est celeriter percurrere. Virg. G. III., 142.] Wernsd.

v. 295. *Manibus percurrere*, stringere et percutere. per *toros* cervicem et reliquum corpus, tergum et crura intelligit, quae diligenter destringi iubet Xenophon περὶ ἱππικ. *Gaudeat ut plausu.* poppismum intelligit. Conf. Virgil. G. III., 186. *relaxet corpus*, gaudio concitatior fit spiritus et sanguis; et dum liberius permeat corpus, laxius efficit: atque hinc altores suci facilius diffunduntur venis.] Wernsd.

v. 298. Dum equi bene curandi officium hactenus expositum, delegat famulis, hac occasione transit ad caetera eorum munia in retibus conficiendis et reliquum supellectile venatorium. Quos *famulos* et *comites* Nemesianus, Gratius dicit *socios* v. 335., Graeci συνεργούς. Vide ad Grat. v. 219. — Comitibus in venatum eductis Hippolytus sua munia distribuit apud Senecam Act. I. Gra-

tius praeterea magistrum canum venaticorum memorat, eumque iuventuti silvas domiturae praepositum, v. 328.; nec vile eius arbitrium dicit.] Wernsd.

v. 300.—320. De cassibus, plagis, retibus, lineis agitur. Ac priora tria genera diversa fuisse, multi contendunt. Dicam, quod discrimen priores posuerunt. 1) *Cassem* vocarunt rete concavum, ἄρκυς dictum a Graecis cfr. not. ad Grat. p. 61. 2) *plagae* secernuntur a *retibus*, ut auctor est Servius ad Virgil. Aen. IV. v. 131: Utrumque seorsim appellat Horatius Epod. II. v. 32. 33. Cfr. Epist. I., 6., 58. *Plagae* igitur planae sunt ac rectae, sed nonnisi in viarum angustiis obiectae. Hinc ἐνόδια Graecis. Derivat nomen Ulitius ἀπὸ τοῦ πλαγίου, quia transversae et obliquae in viis tenduntur; confert Isidorum cap. de Retibus lib. IX.: *minus autem recte emplagium dicitur a plagis.* Sed magnitudine etiam a *retibus* differunt. Servius l. l.: *Multi dividunt, ut sic retia rara, maiora; plagas vero minora intelligant.* 3) *Retia* denique longo tractu apertis in campis tenduntur, δίκτυα.

v. 300. *longo meantia r. tr.* Vid. ad Grat. v. 219.

v. 302. *maculis.* foraminibus, sive aperturis retium inter nodos. *servare modum m.* est curare, ne nimis parvae vel magnae sint. *lino tenaci* i. nexo et complicato, quo constant maculae, ne ruptum aut nimis constrictum sit.] Wernsd.

v. 303. De linea et formidine vid. Grat. v. 27. 83. Plane sic loquitur Seneca Hippol. 46.: *picta rubenti linea pinna Vanno claudat terrore feras.* cf. alterum Sen. de Clem. I., 12.] Wernsd.

v. 304. *volucresque. Volucrem praedam* appellat a velocitate pedum.] Barth,

v. 305. *Digerat*, circum circa digestas et dispositas habeat.] Wernsd.

v. 307. *Ceu fulgura coeli terrif.* — *haec clara luce coruscant Terribiles species:* Gratius, v. 78.

v. 308. Auson. epist. IV., 27.: *circumdas maculis, et multa indagine pinnae. Transcendere septum* Seneca de Clem. I. c. dicit *proculcare formidinem.]* Wernsd.

v. 309. Gratius v. 86.:

Interdum Libyco fucantur sandyce pinnae
Lineaque exstructis lucent anconibus arma.

venenum pro quovis pigmento valde usitatum. Virg. G. II., 465. Horat. Epist. II., 1., 206.

v. 310. 311. Gratius v. 77.: *Tantum inter nivei iungantur vellera cygni*, et v. 80.: *meliusque alterna valet res.* Ergo *alternos metus* accipe cum Wernsd. formidines s. pinnas diversi coloris alternatim positas. Idem *subtemen longum* accuratissime interpretatus est per longam seriem pinnarum funiculo connexam et subtextam alteri.

v. 312. Gratius v. 79.:

— *ab vulture diras avaro*
Turbat odor silvas.

v. 313. *Magnae aves*, struthiones, quorum etiam pennis usi sunt ad formidines. *cygni senes*, quia plumae eorum incanae. supra v. 37. *Cycnum plumamque senilem.]* Wernsd. Cur Burmannus posuerit: *garrulus anser*, non intelligitur.

v. 315. Describit aves aquaticas et palustres, quarum *pelliti pedes*, digitis pelle vel membrana tenui coniunctis. anates, fulicas, mergos intelligit. nam *hinc* i. ex aquaticis, sumi posse, ait, plumas punicei coloris, *nativo munere*, non arte et fuco quaesitas, quales maxime anatum aliarumque palustrium sunt.] Wernsd. At *illic* ne potest quidem per sermonis continuationem ad aquaticas aves referri. Suspicor equidem ad *Puniceas* i. e. Carthagini-

gienses respicere poetam, utpote patriae suae ipsius proprias et indigenas. Africa enim versicolorum avium vera est patria. Memini phasianarum Numidicarum Plinium N. H. X., 48. et Suetonium Calig. 22. mentionem facere.

v. 318. *florentibus alis*, versicoloribus, pictis ut flores. tale est, quod sequitur, *vernare*. *Vernat ager*, variis coloribus pictus.] Wernsd. Comparat Burmannus Calpurn. V., 19. Ovid. Met. X., 166.

v. 321. *His ita dispositis.* hoc parato instrumento venatico; *hiemis* tempus venationi maxime opportunum censetur. Intelligit autem hiemem incipientem, quo etiam aucupium inchoat Nemes. fragm. 19.: *Cum nemus omne suo viridi spoliatur honore.* Xenophon *Κυνηγ.* c. 5. maxime vernum tempus commendat.] Wernsd.

v. 324. Respicit Maronem G. III., 325.: *Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent;* item Senecam Hippol. 39.: *dum lux dubia est, dum signa pedum roscida tellus impressa tenet.* Nempe mane novo exeundum, quia tum vestigia ferarum recentia sunt, quae paullatim evanescunt. Xenoph. c. 6.: *ἐξιέναι δὲ πρωΐ, ἵνα τῆς ἰχνεύσεως μὴ ἀποστερῶνται.* cf. Grat. v. 223.] Wernsd.

COMMENTATIONES
DE
DUOBUS FRAGMENTIS
NEMESIANO
VULGO ASSIGNATIS.

Fragmenta de aucupio primus protulit Conr. *Gesnerus* e Giberti Longolii dialogo de avibus (libro de avibus p. 431. in *tarda* et p. 444. in *scolopace*) simulque correxit et illustravit. Alterum de scolopace etiam Bonaventura Vulcanius adduxit notis ad Glossaria, unde repetens Barthius Advv. lib. XV. c. 8. spurium illud et Nemesiano indignum iudicavit. Ianus etiam Ulitius, commentario ad cynegeticum carmen Olympii, non audet ipsi Aurelio Olympio Nemesiano tribuere, sed posteriori alicui auctori assignat. Haec iam ab Wernsdorfio commemorata. Sed quod spuria fragmenta ista olim iudicata sint, eius rei caussam tum in orationis barbarae et soloecae vestigiis, tum maxime in rerum tenuitate sermonisque ieiunitate posuerunt Ulitius et Casp. Barthius. Hoc argumentum levi ac tenui materia, qualis est de forma et captura aviculae, labefactari, pridem cognovit Wernsdorfius, aequior talium rerum et cautior existimator. Mihi tamen si persuadere voluisset, auctorem esse Nemesianum, auctoritate opus erat certiore. Non magni ponderis est, quod Longolius in dialogo de

avibus, quem Coloniae a. 1544. excusum ipse inspexit Wernsdorfius, Nemesianum poetam asseverat de aucupio latinis versibus scripsisse, atque aliquot versus eius libri, e quibus haec duo fragmenta retulit, ait in bibliotheca Salvatorio Bononiensi ab Hieronymo Boragineo Lubecensi, quocum ipse Bononiae et Ferrariae aliquamdiu vixerit, furtim descriptos et secum communicatos esse. Sed maior dubitandi facultas relinquitur Vopisci consideranti testimonium vit. Numerian. cap. 1., qui in recensione carminum Nemesiani ἁλιευτικά commemorat, κυνηγετικά, ναυτικά; de ἰξευτικοῖς monet nihil. Itaque de Nemesiano quidem addubitari potest. Iam de vero ac genuino auctore statuendum esset, si quem liceret investigare. Ante Manilium quidem poetam, id est ante Augusti aetatem, haec materia erat carmine vulgata, id quod Astronomicis declaratur II. v. 1076.; de quo loco quid iudicandum videretur, praefatione huius libelli exposuimus. Ad eam igitur aetatem nemo audebit fragmentorum auctorem referre Ea enim serioris et cadentis latinitatis sunt certissime, ut Wernsdorfius quoque vidit p. 125. Fortassis ne Romanus quidem, sed Graecus erat auctor, si recte interpretor primi fragmenti v. 1., ubi discrimen apertissime declaratum est inter Graecam et Romanam vocem.

Iam quid ex hoc genere venationis carminum inter veteres sit compositum, item Wernsdorfi collegit diligentia. Ac breviter quidem aucupis officium complexus est Manilius in asterismo cycni Astron. V. v. 368. sqq. Porro Martialis Epigr. lib. IX., 60., mittens amico aviculam domesticam, aucupii rationem quandam comprehendit. Eodem est ex genere Ausonii Epist. III. ad Hesperium et Paulini Nolani Carm. 1. additum epistolae ad Gestidium, quos typis vides expressos in Wernsdorfi Poet. Lat. Min. Tom. I. p. 134.—137. De instrumentis in avium captura plerisque exposuit Oppianus in Ixeuticis e paraphrasi Eutecnii lib. III. p. 84. Plenius singula tractavit Windingius praefat. ad Eutecnii

paraphr. Ex huius igitur Windingi commentariis quae distinctius collegit Wernsdorfius, haec habeto: Omnis supellex aucupis vel ad ipsam avium capturam pertinebat, vel ad dolum et allectionem earum. Capturae serviebant laquei vel pedicae, calamus viscatus, crates vel cavea, area, retia, amites, plagae. *Cratem* commemorat auctor Octaviae v. 412., quem sic legit Gronovius: *Vel calamo aut brevi decipere volucres crate.* Cratis et calami imago exstat in antiqua gemma apud Gorbaeum Dactyl. Tom. II. n. 480., quam proposuit Drackenborchius ad Sil. Ital. VII. v. 674. Ad dolum et deceptionem avium comparata erant esca, pinnae, fistula vel cantus aucupis, et avis illex, quae erat aut similis capiendarum avium (Oppianus σύμφυλον ὄρνιν vocat) aut inimica, ut noctua. Hunc modum memorat Palladius Septembr. n. 12. Praecipuus in hoc genere est accipiter, qui edoctus erat allicere simul et capere aviculas. Eum inter aucupii instrumenta refert Aristophanes Avibus et Oppianus Cyn. I. v. 65. Martialis XIV. ep. 216.:

Praedo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, et captas non sibi moeret aves.

Conferendus Scaliger Commentar. in Cirin Virgilii p. 85., carmen Thuani adiunctum scriptoribus Rei accipitrariae Lutet. 1612., denique Sidon. Apollinaris panegyr. Aviti Aug. 202.

I.

v. 1. *Tetracem.* De hoc genere avium cfr. Alexand. Myncium et Epicharmum apud Athenaeum p. 398. (IX., 20.). Eum non commemorari ab Aristotele notat Athenaeus. Sed *τέτριξ*, consimile genus, exstat ap. Aristotelem h. a. VI., 1. *ἣν καλοῦσιν οἱ Ἀθηναῖοι οὔραγα.* Et Conr. Gesnerus de avibus p. 624. animadvertit, duplex genus eius nominis distingui ab Aristotele, quorum unum

τέτραγι Athenaei valde simile, cum trappo comparavit (Longolius *urogallum* interpretatur), de quo Plin. N. H. X., 22. et Sueton. Cal. c. 22. Schneiderus in lexico locupletior est, qui *τέτραγα* docet circumerrare hodieque in Austria sub nomine: *Der Trappenzwerg* s. *das Heidehühnchen* — *cannepetière.* Cfr. eiusd. Ecl. Phys. p. 355.

v. 3. *Contemplaverit*, antique. nam forma activa usurpasse hoc verbum Ennium, Accium, alios, observat Nonius VII., 11.] Wernsd. Exempla e Plauto plurima congessit Philippus Pareus in lexico Plautino s. v. *contemplo.*

v. 5. Wernsdorfius contulit apte Ovidium Met. XI., 73.:

Utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
Crus ubi commisit volucris, sensitque teneri,
Plangitur, ac trepidans astringit vincula motu.

v. 6. Luculenta descriptio captae avis frustra evolare tentantis. Val. Flacc. VI., 265.: *irrita concitat alas.*] Wernsd.

v. 8. *Subsannare*, eludere, irridere, sequioris aevi vox, Tertulliano etiam usurpata. *magister* h. l. est auceps, ut apud Grat. 328. *κυνηγός.* *fruitur* i. delectatur et gaudet. Seneca Herc. fur. 34.: *superat, et crescit malis, iraque nostra fruitur.*] Wernsd.

v. 10. Gesnerus citat: *prope Pontinum radice Apenn.* Burm. mavult: *in radicibus.* Textum restituit ante Burmannum Ulitius.

v. 12. pro *dorsum collum* coniecit Gesnerus. Wernsd. comparat Nemes. Cyn. v. 320. *sparsos tergo vernare colores.* Coniiciendum si quid est modo, scribendum *dorsus*, quod pro *deorsum* est apud Plautum Mil. II., 4., 44.

v. 13. *Perdicem* intelligit, cuius vocem *cacabare* verbo expressit auctor carminis Anthol. Burm. lib. V., 143., v. 15. et 144., v. 12. *Κακαβάζειν* s. *κακαβίζειν* habet Pollux V., 13. Similiter Ausonius Mosella v. 88.: *purpureis stellatus tergora guttis.* Et *Numidicae guttatae* Martial. III., 58., 15. Pro *guttae* citat Gesn. *notae*, quam prosodiae mutationem probat Wernsd.

v. 15. Palamedes quarundam litterarum a se inventarum figuras a gruum volatu vel forma didicisse dicitur. Hinc *volucres figurae* h. l. sunt litterae volucris, i. gruis formam et volatum referentes. Sic *gruis effigiem* vocat litteram φ Ausonius Idyll. XII. Vid. etiam Martial. XIII., 75.] Wernsd.

v. 17. *Circo ovanti* verissime emendavit Burmannus, explicavitque rem Wernsdorfius: Consules et Praetores magistratum ineuntes ludos in Circo et epulum dare soliti. id quod postea sub imperatoribus usitatum. cfr. Vopisc. Aurel. c. 12., cui Wernsd. addidit Cod. Theod. lib. VI., tit. *de praetor.* et Sueton. Ner. c. 27. — *Mazonomi.* Gesn. cit. *Mazonoim.* Erat *Mazonomum* magna scutella, ut ait scholiastes ad Horat. Sat. II., 8., 86.: *deinde secuti Mazonomo pueri magno discerpta ferentis Membra gruis.* Potest vox a *μάζα* et *νέμω* deduci. apponebaturque in eo magna simul escarum vis. Non abs re erit, plura eiusdem generis addidisse ex apparatu veterum coenatorio. Commemorantur igitur *patinae*, quibus et ferculi vice utebantur (Horat. Sat. II., 8., 42.) et ad coquendos cibos, ut Plinius ait. Hinc *tripatinum* pertinuit ad summam coenarum lautitiam. Plin. N. H. XXXV., 12. *Patellae* erant minores apponique plerumque in illis olera consueverunt. Horat. Epist. I., 5. v. 2. Iuvenal. Sat. I., 5., 85. Pollux VI.: *τὰς δὲ καλουμένας πατέλλας λεκανίδας ὀνομαστέον.* Tum vasis escariis annumerantur *lances*, *πίνακες* a Graecis dictae ab Athenaeo lib. IV. Eae igitur

quam pretiosae fuerint interdum, auctor est Trebellius Pollio c. XXXII. in Tito, ubi lancem commemorat a Calpurnia donatam centum librarum argenti. Nec praetereunda *paropsis*, alias *parapsis* dicta, vas escarium, quod nomen interdum pro vili obsonio usurparunt Graeci, notante Ursino Append. ad Ciaccon. de triclin. p. 359. Denique inter celebriora vasa escaria *catinus* est nominandus. Horat. Sat. II., 2., 39., quod vas fictile fuisse monstrat Lubinus ad Pers. Sat. IV. v. 111., qui etiam inter immensa escaria eum numerat. Cfr. Horat. Sat. I., 6., 115. II., 4., 77. Sed haec missa sunto.

II.

v. 19. Prima hieme. Vid. Nem. Cyn. v. 321. *suo viridi honore* moleste dictum putat Wernsd. coll. Nem. Cyn. 211.

v. 20. *Fultus equi niv. ex.* vectus equo pelle nivea instrato, ea figura dictum, qua Virg. G. I., 59. *Eliadum palmas equarum*, pro equis palmatis. Nempe pellibus ferarum uti pro strato equorum solebant praecipue venatores. Apud Stat. Theb. IV., 272. Parthenopaeus equum habet *velatum geminae deiectu lyncis. Fulciri* toro, pellibus dicuntur, qui incubant vel insident. Claud. de nupt. Hon. 151., Venus Tritone vecta, pulvillis purpureis instrato, *navigat ostro fulta.* Cf. Halieut. v. 71.] Wernsd.

v. 21. *Scolopax*, genus avium, gallinae corpore et moribus simile, rostro praelongo, nunquam insidens arbori: latinis gallinago, etiam rusticula vocatur, de qua Martial. XIII., 76. *Facilem praedam* Nemes. Cyn. 191. dixit. *Paphiis avibus*, columbis.] Wernsd. Cfr. Aristotelem h. a. IX., 8. Schneid. Ecl. Phys. p. 41.

v. 23. *Aggeribus primis*, extrema parte riparum.] Wernsd.

v. 25. *Illa* falso Wernsd. ad *obsonia* retulit, frigidum sermonem efficiens ille, quamquam accusativi cum *instare* verbo coniuncti usum Plauto Curcul. III., 6. et Terentio Andr. I., 1., 120. sustentavit.

v. 26. *nimium* i. valde grandes. V. Nemes. Cyn. v. 22. 113.] Wernsd.

v. 28. in *gula* penultimam productam probat Wernsd. Luxorio poeta, Afro, Nemesiano recentiore epigr. 16. Tom. II. Anthol. Burm. *quid festinus abis gula impellente sacerdos.*

INDEX RERUM ET VERBORUM.

G. significat *Gratius.*
N. — *Nemesianus.*
A. — *Fragmentum de Aucupio.*
C. — *Commentationes.*
P. — *Praefatio.*



